

16.
DISPUTATIO THEOLOGICA INAUGURALIS,
DE

SCRIPTURÆ S.
ET VERBI DEI EF-
FICACIA DIVINA;

Quam
DIVINA AD SISIENŒ GRATIA,

Ad Mandatum,

SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS

CAROLI XI.

REGIS nostri Clementissimi,

Consente Admodum Reverendâ FACULT. THEOL.

Pro LICENTIA

Adeundi *Gradum* in Theologiâ *Doctorem*,

In illustri ad AURAM Acad.

Publico eruditorum examini submittit

JOHANNES FLACHSENIUS,

In dictâ Regiâ Acad. S.S. TH. PROFESSOR ORD.

RESPONDENTE

DN. HENRICO ALANO,

Philos. & Theol. StudioŒo:

In Auditorio Supremo 13. Kal. April, Anni M. DC. XCIII.

Quo die ante seculum, Concilium Upsaliense Omnium Ordinum

subscriptione felicem eventum obtinuit;

horis ante- & pomeridianis.

Excusa A B O Æ apud JOH. WALLIUM, A. I.

INVICTISSIMO ET SEMPER AUGUSTO
REGI,
HEROI AC DOMINO,

CAROLO

XI.

SVECORUM, GOTHORUM, WAN
DALORUMQUE
REGI,

MAGNO PRINCIPI FINLANDIÆ
DUCI.

SCANIÆ, ESTHONIÆ, LIVONIÆ, CARELIÆ
BREMIE, VERDÆ, STETINI-POMERANIÆ,
CASSUBIÆ ET WANDALIÆ,
PRINCIPI RUGIÆ,
DOMINO INGRIÆ ET WISMARIÆ,

NEC NON

COMITI PALATINO AD RHENUM BAVARIÆ,
JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM

DUCI.

REGI ET DOMINO MEO CLEMENTISSIMO,

*PACEM ET OMNIGENAM BENEDICTIONEM
A DEO PATRE PER JESUM CHRISTUM
DEVOTISSIMO CORDE PRECOR.*

REX POTENTISSIME
DOMINE CLEMENTISSIME,



Etiam si immensa illa
quà varietatem, quà
multitudinem bona
Spiritualia & Coele
stia, quibus id agit DEUS Optimus
Maximus, ut homo per lapsum

a

miser

miser & e paradiso extorris, iterū
in adoptionem filiorum DEI &
incolatum novæ in Coelis Jeruso-
lymæ promoveatur perducaturq̄;
nequaquam sit minimum, Verbū
DEI Scripturis comprehensum,
quod ideo salutis nostræ Auctor,
voluit esse virtute divinâ & effi-
caciâ fæcundum & S. Sancto, non
objective duntaxat & repræsen-
tative, sed verè, realiter, insepara-
biliter & effective, quâ poten-
tiam quâ ipsum actum impræ-
gnatum, nisi homo ipse obicem
ponat, dum naturali suæ inepti-
tudini, quæ per Verbi efficacis

admis-

admissionem superari potest, a
scititiam novam, affectatam &
pertinacem, vel neglectu Verbi,
vel contemptu prædicantis illud,
vel præjudiciis, vel zelo inconfi-
derato, vel curis deniq; seculi, aut
alia quâcunque repulsâ superin-
ducere non horrescit: mirari ta-
men subit proh dolor! quam plu-
rimos deprehendi, qui cæcæ ra-
tionis suæ ductu & fraudibus men-
dacissimi mille artium artificis
Diaboli, vim Verbo Divino, cæ-
lesti isti thesauro, & efficaciam
suam intime ei connexam præri-
pere & luffurari audent, ut libe-

rius ipsis, cum ordinato hocce
à DEO conversionis, illuminati-
onis, renovationis & salvationis
nostræ medio, pro lubitu tan-
quam cum literâ mortuâ agere
liceret: asserentes virtutem ta-
lem Spiritus, esse duntaxat adven-
titiam Verbo quando & quibus
DEUS vult actus salutares & gra-
tiosos conferre: vel novas reve-
lationes & raptus Enthusiasticos
tutius esse expectandos, quos pre-
cibus suis se obtinere imaginan-
tur. Sed caveat misera turba, ne
sibi novos afflatus & revelatio-
nes fallaces fingant & præsumant,

& vel

& vel diabolicas, aut melancho-
licas aut voluntarias illusiones &
imaginationes pro divinis inter-
pretando, se aliosque decipiant
& deceptos in perniciem præci-
pitent. Non amandat nos DEUS
ad revelationes, sed ad destinatum
à se medium, Mosen & Prophe-
tas audiendos. Itaque è re duxi,
hanc dissertationem sic ador-
nare, ut asserta thesi orthodo-
xâ adversariorum objectiones
omnes radicitus evellantur, refu-
tentur & sufflaminentur. Quod
vero eadem, fastigia Tuæ Augu-
stissimæ Majestatis REX Invi-
ctissi-

Etissime salutare audeat, facit Re-
gius iste favor & divina benigni-
tas, qua Academiam hanc Tuam
Aboensem foves, exornas, susten-
tas, cujusq; membrum, etiam me
in ordine docentium non solum
esse voluisti, sed & Clementissi-
me injunxisti, ut circa hanc festi-
vitatem ob felicem & intemera-
tum Verbi divini cursum; nunc
elapso seculo inde a Concilio U-
psaliensi habito, in universo Re-
gno devotè celebrandam, actus
inter alios Academicos, honores
illi, in Theol. summi, mihi tenore
Constit. Regiarum conferrentur.

Hæc

Hæc tanta sunt beneficia, ut reliqua infinita præteream **R E X**, quæ à subdito ut ut devoto, nequeunt aliter quam jugi commemoratione, devota gratiarum actione, & piïssimi voti pro salute Regiâ, Regiæque domus nuncupatione compensari. Patere itaque Clementissime **R E X**, has pagellas & hoc cartaceum munus, ad pedes Tuos una mecum devolvi & gratioſo lucis Tuæ jubare me ſubditorum Tuorum infimum reſpice. Hoc eſt quotidianum noſtrum votum, privatum & publicum, manebitq; ad extremū vitæ

ms. Aquilone

halitum: Vale & vige REX Potentissime pietate Incomparabilis, fortitudine insuperabilis, Justitia & clementia admirabilis! vivat, Regina Mater inclyta, vigeat Regina Conjux Regia cum tori pignoribus, Principibus hæreditariis! efflorescat tota domus Regia, eamq; in Regnorū Sveciæ incrementum & salutem DEUS Regnorum Stator, sicut iterato voveo, sospitet, tueatur, conservet!

AUGUSTISSIMÆ MAJESTATIS TUÆ

devotissimus subditus
JOHANNES FLACHSENIUS.

120

Adm. Rev. & Amplissime
Domine, S. THEOL. PROFESSOR Ordinarie.

Qum Te, Fautor eximie, intellexerim parare Dissertationem inauguralem, de Sacrae Scripturae efficacia, eamque habiturum illo, quo ante seculum, die, religiosa subscriptione firmata sunt decreta Concilii Upsaliensis: Operae pretium Tibique, animum existimabam me additurum, si quod mihi tunc incidit cogitatum, hocce Epistolio aperirem. Selegisti, pro Tua in his studiis docta ac prudenti sollicitudine, argumentum utilissimum, imo nostro nunc tempore necessarium, sed & ut occaepti dicere, fausto illi confirmata in patria Orthodoxiae dei convenientissimum. Trina Concilii celeberrimi hebdomas, impendebatur Ventilationi Confess. Augustanae: singuli ac universi ejus recepti sunt & approbati articuli. Non enim aliter fieri potuit, cum Romanensi heterodoxiae opponenda esset puritas Evangelico-Lutherana. Passim in illis traditur sententia orthodoxa de Scriptura Sacra, Verum hocce firmamentum verae religionis expressioribus verbis nobis ut inviolabile commendare voluit sacer ille conventus; Praemisso itaque Exordio, primum & ante omnia sancte, pro se ac posteris suis, vovent pii majores nostri, promittuntque se Verbo DEI puro ac salvifico unanimiter adhaerere velle; adeoque in Ecclesiis nostris docendum esse & credendum. Scripturam Sacram, à Spiritu Sancto suam habere originem: Plenissime (fulkommenligen) continere ea omnia, quae ad doctrinam, de DEO & salute nostra, Christianam spectant. Illi itaque, ut fundamento & columna fides Christiana solide innitatur. Hanc unice adhibeamus normam in judicandis, discernendis & avertendis (örförhållna) controversis circa religionem. Illam denique nullo aliunde indigere interpretamento: sive à S. Patribus, sive ab aliis quibuslibet, suo arbitrio, aliquid Scripturae s. quod illi non est consentaneum, adjungentibus. Istum jam novissime laudatum elogiorum divinatorum characterem, pluribus prosequitur Canon Concilii primus: Illius sic Sancto zelo positi vi ac tenore, mox quicquid erat Pontificiae Ecclesiae sanctionum & cultuum, praeter vel contra regulam

lam illam divinam, conculebatur: quicquid erat Zuingliana secta, per abusum rationis excogitatorum dogmatum, damnabatur: quicquid erat Anabaptistica sociave turba somniorum, profligabatur. Tantus quoque venerandi Canonis, per integrum hoc seculum, Divina affulgente gratia, vigor apud nos exstitit, ut, per illum solum, & dictarum heresum errores constanter sint rejecti, & illorum quavis, sive conciliatio, sive mixtura cum doctrina pure Evangelica, non sit admissa. Cum itaque, Professor Celeberrime, erudito labore Efficaciam Verbi Divini valide adstruis, ac sic Canonem Concil. Upsal. primum extendis feliciter, nec non Aug. Confess. articulum quintum apprimè illustras, idque die, factis nostris Ecclesiasticis maxime memorabili, justam certe mereris honorum omnium gratulationem. Cælesti quippe consilio susceptum ac eo usque actum opus, thesaurum per majores nobis traditum, pio conatu commendat posteritati. Tuam accuratam Disputationem audituri sive lecturi, excitantur in celebrationem commemorati beneficii divini. Ecclesie & patrie usibus dicata juvenus florens, discat hinc devote & assidue sacras volvere paginas. Sic adeundo summos in Theologia honores, Tu ut doctor meritissimus septentrionali Ecclesie & rei litteraria, non minus utilitatis quam splendoris impertiris. Faxit omnipotentis Patris misericordia, propter Dominum nostrum JESUM Christum, ut per Spirit. S. gratiam virtutemque, Ecclesia patria nostra, ea qua, per hanc centuriam, gavisa est pace & orthodoxia, sub Regum optimorum tutamine porro fruatur ad finem seculorum, si qua sunt futura. Addat & hoc immensa S. S. Trinitatis Clementia, ut quam experimur Script. S. efficaciam in refutandis ac damnandis doctrinae erroribus, illam itidem admittamus sentiamusque, in tollenda vita impia & sordida, Christiano indigna nomine. Vale, Ampliff. Dn. Professor, ac diu prospereque gloriæ DEI operare! Dabam a. d. 3. Martii. A. M. DC. XC. III. inter suras visitatorias Eccles. Taviasalensis & Wehmoensis.

Adm. Rev. Tuæ Dignitati

Conferendus addit.

JO. GEZELIUS.

Ad eandem Virum Pl. Reverendum Amplissimumque,

**DN. M. JOHANNEM FLACHSENIUM,
S. S. Theologiæ Professore Ord. Celeberrimum,**

*Pro Summis in eadem Honoribus privilegiisq; consequendis,
ad diem 20 Martii, publicè disputaturum:*

Non una me causa movet, quare Ampl. Dn. Profef-
sori gratuler, quòd illud & ætatis & meritorum
fastigium attigerit, ut ex consensu Clementissimi
REGIS nostri CAROLI XI. supremo in Theo-
logia Gradu, dignus habitus sit, eumque ex decreto atq; ad-
probatione Senatus Academici, sibi conferri videat. Enim-
vero licet illa, tum in Sacro-Sancto illo studio, tum in aliis
scientiis ac disciplinis, eruditionis doctrinæque præbita
hactenus specimina, tam præclara sint, ut Amplissimo
Dn. Profefiori sat auctoritatis atque decoris, absque ejus-
modi titulo ac ceremoniis ad illum obtinendum adhiberi
solutis addere possint: non convenit tamen diffiteri, quin
hinc ad illa priusque partam integritatis laudem, magnus
cumulus & accessio Ipsi sit futura; stimulosque hic ho-
nor ac titulus additurus, ad majori nisu laborandum,
quàm si non esset collatus, ut pro dignitate sustineatur.
Quam ob causam & Deum Ecclesiæ suæ tutorem supplex
& quidem hâc vice, prolixiore mente quàm verbis, veneror,
velit spiritum gratiæ suæ in Ampl. Dn. Prof. effundere,
& cogitationes, sermones, scriptaque Ipsius omnia, in pluri-
morû hominum cordibus efficacia reddere, ut ea ratione,
omnes Ipsius labores, in gloriam Numinis Divini, Verbi
Ipsius propag ationem, ejusq; adversus omnes seductores
masculam propugnationem, nec non suam Ipsius tum tem-
poralem tum æternam gloriam salutemque vergant!

Amplissimo Dn. Profefiori

Scrib. occup. Aboæ 9. Martii

1693.


Additissimus

MATTHIAS SWEDERUS

h. t. Acad. Rector.

Admodum Reuerendo & Excellentissimo,

DN. JOHANNI FLACHSENIIO,
S. S. Theologiæ Profefiori Ordin. Summos in
Theologia gratulatur honores, dum de VERBI DIVINI EFFI-
CACIA, pro Gradu & Insignibus, magno cum
applausu disputat:

era salus perchara salus, pretiosa salusque
Vox est æterni nunc patefacta DEI:
Illa aqua de scatebris Israëlitis undæ,
Ignea quam SACRI FLAMINIS aura movet;
Quæ facile argentum, gemmas quæ vincit
honore,
Quasque petit votis & sitit orbis opes.
Illa arce cunctas stygii cacodæmonis artes
Quas struit, & technas, tendit in orbe
suas.
Hanc docet, ut DOCTOR Doctoris voce cre-
atur
FLACHSENIUS. Magno pectore Doctor
ave!

ANDR. WANNOCHIUS,
Phil. Pract. Prof. Ord.

GRATIA REGIA

Novos, sed dudum meritos honores in Theologia Doctoris, concessos

Viro Admodum Reverendo

D^N. JOHANNI FLACHSENIO,

S S. Theologiæ Professori Celeberrimo,
ipfi vovet felices.

hoc

ΣΥΓΧΑΡΜΑΤΙ,

Πότνια ἔργ' ἔρδων καὶ ῥήματα θεῖα λογιθεῖς
Ἔσσαι μὲν γὰρ εἶσι Φιλῶ, πάσηςσι βροτοῖσι
καί γε τιμημένους, ὡς κύδεις διδάσκαλε ἴσσι
Ἰχθυος ὡδ' ἔχεις, ἂ μέριστος καὶ μεγ' ἄριστος
Ἥφανος ἤρα φέρει σοι, ὧν κλέῳ ἔπι' ἐλείται.
Ἄδω ἀειδοῖον σέφανόν τε, διδάγματ' ἰρῆ
ἀθάνατον τέμαρ, καὶ ἐγὼ ἡμάτα πάηα
δὴν ὁ θεὸς κῦδός τε τρισόλβ.ῶ ἴχεο αἰσι!

*Quod auctoritati quidem, sed
prolixo aff. An L. Mag.
adjicit*

DAVID RUMDI
Lingg. Sacr. Prof. Ord.

VIRO *Maxime Reverendo & Præcellentissimo,*
M. JOHANNI FLACHSENIO,
S. S. Th. Prof. Ord. in alma ad Auram Acad.

Fautori desideratissimo,

Quum in solenni septentrionalis Ecclesiæ Jubilæo

INAUGURALI DISPUTATIONE

DE VERBI DIVINI EFFICACIA,

*Ad capeffendos summos in Theologiâ Honores
sefe accingebat:*



quam fit Divini miranda potentia verbi
Divinis verbis, Vir venerande, doces.

Cuncta probat, quamvis obliquet lumina, Livor,
Virusque ore vomit moxque resorbet idem.

Interea gratus, ne præmia nulla sequantur,

Serta pio capiti debita nescit HONOR;

Nescit & imponens albis tua dona capillis

Jucundumque tuens talia voce refert:

Hæc viridis quondam juvenilia tempora Daphne

Cinxit: Canitiem frons mage festa teget.

Festino sed officioso calamo lusit

TORST. RUDE'EN, Poët. Prof. Ord.

Reverendo Admodum, & Excellentissimo

DN. JOHANNI FLACHSENIO,
S. S. Th. Prof. Ord. dum pro summo in Theologia gradu Di-
sputationē de *Efficaciâ Verbi Divini* publicaret, meritos
c/ honores ex animo breviter licet gratulatur.

Ὅσα χεῖς χεῖροσ, ἤπειροσ, πόνησ ἀπείρων
κῆρη θεῖα φύσισ, λόγωσ ἐνθεσ πῆγνυσο πρῶτα.

Ὅσ' τόσσοσ δέισωσ ἦν ἔσαι γε καὶ ἡμῶσα πάντα

Ὅσ' γε τεῖ μάσσα φιάζει θεοεικελοσ παββί,

Ὅσ' δὴ πανύχιωσ ἰὺδασ θεομήτισ ἀρήγησ,

ταυθ' εὖρεσ' κομψῆσ καὶ ἔτικα μέμμορασ ἀφλασ,

CHRISTIERN. ALANDER, Eloq. Prof. Ord.



Εἰς Ὁ Δ ο ς .



Anutum SERENISS: REGIÆ MAJESTATIS,
illorumque quorum interest, hoc quic-
quid est exercitii sacri, valde festino calamo,
inter alias curas & occupationes publicas
signati, & publicæ luci dare, & tantò
minore difficultate disquisitioni Academi-
ca submittere permotus sum, quantò
promptius & submissiore animo, superiorum
imperatis obtemperare, indies in deliciis habere didici; idque vel
ideo, ut tum hæc ratione, tum vel brevi secutura sollempniori a-
ctus festivitate, potius etiam foreus, & Academica hæc loci Uni-
versitas, in hoc anno Jubilæo, à Potentiss. & Pientissimo Rege
nostro per universum Sveciæ Regnum, ut dignâ devotione ab o-
mnibus celebraretur, injuncto, habeat inter alia solemnia, quo de
non interrupto & felici Evangelii cursu, inde à Concilio Up-
saliensi ante Seculum habito, DEO Optimo Maximo gratias
submissè persolvat, ac pio gaudiorum ritu Ecclesie bonis applaudat.
Argumentum autem, de eo deliberanti, pro re natâ obtulit se, de
Verbi Dei seu Scripturæ S. efficaciam, in hæc occasione satis
congruum, & ut rite exponatur cum primis hoc tempore valde
necessarium; non modò propter plurimum adversariorum, ut

A

Svenck-

Schvenkfeldianorum, Weigelianorum, Anabaptistarum, Enthusiastarum, Rathmannianorum, Calvinianorum, item quorundam Pontificiorum, &c scripta passim evulgata, & perniciose de hâc materiâ edita dogmata: sed & propter Separatistas istos, qui à nobis exierunt, quibus hæreticorum, in hoc argumento, impia glossa & falsissima expositiones adeo arrident, ut nec Præceptorum suorum saniore, ex genuino verbi divini sensu, doctrinâ, nec paternis admonitionibus, imò nec denunciâtâ & determinâtâ à Magistratu pœnâ, iisdem renunciare voluerint, nec in rectam viam se reduci patiantur. Quæ admodum autem error illorum, circa articulum justificationis, non ita pridem pro Gradu Doctorali è Verbi divini fundamentis satis est detectus & refutatus, & studiosæ juventuti orthodoxia in illo momento fideliter inculcata; solemnè item disputatione Synodali nuper habitâ, Efficacia Sacramentorum & necessitas, quam etiam admittere nolunt, invictè adserta est: ita quoque mihi è re visum fuit, ut tum illis circa Efficaciam verbi hallucinantibus, tum ut Auditoribus meis facem quandam prælucere, & pagellas has publici juris facerem, eò directas, ut in defectu fortè orthodoxorum in hoc puncto scriptorum, habeant singuli ad manus & thesin testimoniis S. Sancti firmatam, & antithesin solidè discussam, ut, ad votum meum fructus ex iis lectis, singuli percipiant salutare. Quod faxit Deus in secula laudandus!

SYLLABUS contentorum hic est: 1. Indigitato *Statu controversæ Thesin* subjungitur. 2. expositio ejusdem ulterior. 3. Ex dictis **S.** Scripturæ probatio, Ibi *α.* de effectibus verbi, *β.* de Testimoniis Patrum & orthodoxorum. 4. Argumentorum contradicentium refutatio. Et *γ.* quæstionum enodatio.

MEM.

MEMBRUM I.

De Efficaciâ Verbi divini orthodoxam theſin, & ſtatum
controverſiæ innuens.



Theſis rectè formetur, Status Controverſiæ non
abs re primitus obſervandus erit: videlicet
non hic agi aut quæri, de

1. Scripturæ S. Materiali ſive de literis, cha-
racteribus, ſyllabis & vocibus ſeorſim, ſed
ſimul & complexè, de Senſu divino & ſubſtantiâ dogmatum, Ver-
bo ſcripto & orali expreſſis;

2. Non de ſolo Evangelio, ſed & de Lege;

3. Non de virtute objectivâ, repræſentativâ, aut ſignifica-
tivâ, ſed de efficaciâ verâ, reali & effectivâ;

4. Non de Morali qualicunque perſuaſione, ſed de propriè
dictâ intimâ efficaciâ & ἐνεργείᾳ.

5. Non duntaxat in uſu & exercitio lectionis, auditionis &
meditationis, ſed etiam extra illum: hoc eſt, non tantum in actu
ſecundo, ſed & in actu primo.

6. Nec demum in uſu forinſecus accedente, ſed intrinſecâ
& inſeparabili virtute, ex ſingulari DEI ordinatione verbo ſuo
communicatâ.

7. Nec denique tantum reſpectu electorum, ſed &
reprobatorum. Quibus præmiſſis, ſequens orthodoxa equi-
dem colligitur Theſis:

VERBUM DEI, ex ſalutari divinâ ordinatione,
habet omninò etiam, ante & extra uſum legiti-
mum, vim efficacem, intrinſecam, divinam, ſuffici-

entem ad spirituales & divinos actus; tum *gratiosos*, sc. regenerationis, conversionis, Justificationis, renovationis, salvationis; tum *punitorios*; ut concussionis, mortificationis, damnationis, &c. verè ac propriè, supernaturaliter tamen, producendos.

MEMBRUM II.

De thesis ulteriori expositione.

*Ut rectius in hoc difficili argumento progredi valeamus
ulterioris expositionis loco, sequentia quæ subje-
ctum, quæ prædicatum, accuratè notanda veniant.*

I. SUBJECTUM hic est S. Scriptura five Verbum DEI, quod hic non notat. *a.* λόγον ὑποκειμένον seu verbum personale, filium DEI; sed προφορικόν verbum, quod à DEO immediate profertur, à Christo, Prophetis & Apostolis prædicatum, & postea à sanctis DEI amanuensibus & S. Sancti notariis in Scripturis V. & N. T. relatum est. *β.* Inter scripturam Sacram & Verbum DEI non est aliquod reale discrimen, intelligendo sc. Verbum revelatum & literis signatum. Unde D. Balt. Meissnerus disp. 39. de S. Script. thes. 8. ita definit: *Verbum DEI est sensus divinus, per voces in prædicatione, per literas in scriptione seu scripturâ expressus.* *γ.* Verbum DEI Internum, ἐνδιάθετον, & Externum προφορικόν non differre nisi modaliter; Idem *n.* Verbum est, quod in DEO ab æterno est, & quod ab eo in tempore revelatum est, & vel mentibus sanctorum hominum inspiratum, vel literis scriptum, vel corde apprehensum est. *δ.* Non solum Sensus & Sententias in S. Scripturâ, sed etiam singula Verba

Verba à S. Sancto DEI amanuensibus dictata esse, tenendum. ε. Id hic observandum, quod Verbo divino ratione suæ substantiæ, sive respectu nature & intrinsecæ qualitatis, competat, non quid ipsi in usu & actu prædicationis, lectionis, auditionis, quæ Dei Verbo accidunt, forinsecus demum accedat & adveniat. ζ. Etsi in verbo DEI, scripto & prædicato, aliquid detur internum, nempe conceptus seu sensus divinus, & aliquid externum, verba nimirum & literarum apices & characteres, prædicatio, lectio, auditio; quorum illud formale, hoc materiale verbi dicitur: hæc tamen ratione ipsum Verbum Dei, non distinguitur specificè seu tanquam genus, in duas diversas & separabiles actuque separatas species; cum omne id quod est internum & externum, unum idemque Verbum Dei, tanquam totum complexum constituat, atq; sic non præcisè & forisim, sed simul & conjunctim, tum gratiosarum, tum punitoriarum operationum subjectum maneat. η. Cavendum autè sedulo, nè perniciose Svenkfeldianorum, Weigelianorum, Calvinianorum, aliorumq; fanaticorum hominum, distinctionis formam seducamur, dum per Verbum Externum, Verbum Dei scriptum & prædicatum; per Internum verò, modò Christum, ipsum ut verbum ὁμοειπνον, modò S. Sanctum è Cælo venientem, & virtutem secum afferentem electis & fidelibus, modò singulares & divinas revelationes de rebus fidei, modò immediatas & tacitas Angelorum inspirationes intelligunt. θ. Dum S. Sacra & Verbum DEI spiritualium effectuum subjectum ponitur, intelligendum id venit, & de V. Testamento & de Novo, & de Lege & Evangelio; utraque enim scripta, tum originis, tum efficaciam ratione, sunt θεοπνευα, 2. Tim. 3. 15. 16. Joh. 5. 39. Et licet Lex effectus gratiosos directè & per se non producat, hoc est, fidem in Christum nec accendat

nec

nec conversionem operetur, quod potius est *Evangelii*; non tamen litera *mortua* manet, sed suo genere *efficax* est, dum *occidit*, 2. Cor. 3. 6. *Iram operatur*, Rom. 4. 15. *Instar ignis urit, cruciat, absumit*, Deut. 33. 2. *Instar mallei petras conterit* Jerem. 23. 29. & *Instar gladii cuncta penetrat*, Hebr. 4. 12.

II. PRÆDICATUM constituunt verba illa, quod habeat vim & Efficaciam intrinsecam &c. ad effectus spirituales gratiosos & punitorios ex divina ordinatione & beneplacito edendos. In quibus nota:

1. Sicut Verbum DEI & S. Sacra considerantur, vel *in se* & extra usum, vel ut est *in usu*: ita quoque *Efficacia divina*, ad effectus spirituales producendos ei competit *dupliciter*: *a. Inhasivè* ut intrinsecè eam sibi habet *ingeneratam*, seu *divinitus inspiratam*, instar *seminis in horreo*, priusquam arvo creditur. *β. Effectivè* & per *influentiam*, juxta quam in cordibus hominum vim suam exerit. *Priori* itaque modo *efficax* est S. Sacra, *rerum & verborum* pondere. *Posteriori* verò, *re & opere*: illa est *ἐνεργεια*, & quasi *actus primus*; hæc *ἐπιεργεια*, & quasi *actus secundus*.

2. Sicut *virtus* illa à DEO Verbo est indita, ut *supernaturales* actus conversionis, regenerationis &c. producat: ita *rectè supernaturalis* audit; *Effectus* enim arguit *causam*. Jam hujusmodi *spirituales effectus* sunt S. Scripturæ, ut *conversio* hominis a peccato ad DEUM, *regeneratio* de carne ad spiritum, *renovatio*, quæ mortificato veteri fit *novus homo*; & quia sunt *supernaturales*, ergo & *talem causam* agnoscent. Quod à quibusdam *naturalis* dicatur, opponitur tunc non *supernaturali*, sed *παρὰ τὸ φυσικόν* *Rathmaniano*, aut modo *agendi morali*; tenendum itaque 1. Talem vim Verbi

Verbi conversivam, ut à causâ *principali* ortam, non esse positam in virtute agentis *creatâ & finitâ*, cum sit per communicationem *infinita & increata*; nec 2. in *sapientie humane persuasoriis verbis*, sed in *demonstratione spiritus & potentia*, 1. Cor. 2. 4. 5. Nec 3. sic *subjectivè* Principaliter in verbo inesse, ut agat, *strictè* loquendo, modo physico & per contactum *Physicum*, sicut venenum haustum in viscera lavit, & calor aquæ se communicat; nisi in *latiori* significatu physice agere dicatur id, quod *Organicè verè & propriè* operatur: qui modus non excludit hyperphysicum, verbo DEI congruum.

3. Tali gaudet *Verbum DEI* efficaciam, quæ non consistit solum in virtute *objectivâ, representativâ, significativâ*, aut in *moralis* qualicunqve *persuasione*, quâ ratione non differret a profanis oratorum verbis: sed in *verâ, reali* in præstandis spiritualibus effectibus & *effectivâ* efficaciam, in quâ *humani & divini* verbi discrimen elucet, & quæ non *forinsecus* veniens adventitia fit, sub novâ aliquâ *Elevatione*, sed, *nativâ* quæ *intrinsecâ & verbo intimè sit inherens*. Verbum enim DEI ne fingi quidem potest, sine tali gratiosâ S. Sancti operatione & ab eo semper inseparabili, ut docent *Wittebergenses* in censurâ *Movianâ*.

4. Et quoniam *Verbum DEI* in S. Scripturâ rebus *Instrumentalibus* aliquando comparatur, itaque distingvendum erit, inter instrumentum artificiale, naturale; & supernaturale; inanimatum, & animatum, *ἀέργον & ἐνέργειαι*: Tale posterius est Verbum Dei, ut medium vivum & *θεοπνευσία* animatum, non opus habens elevatione proprie dictâ, more instrumentorum merè inanimatorum. Constans ergo hæc est sententia: α. Unionem Spiritus & Verbi esse perpetuâ, intrinsecâ & inseparabilem.

β. *Θεοπνευσία* vel divinam efficaciam, ratione primi actus ad essentiam pertinere. γ. Vim & potentiam Verbi esse principaliter S. Sancti propriam non aliam, & δ. Hanc vim & efficaciam in S. Sancto esse *essentialiter, originaliter, independenter*, in Verbo *gratijsè, comunicativè*. ε. Hanc Verbo intrinsecè comunicatam virtutem non esse creatum *dependens* quid, licet ratione Verbi *dependenter* se habeat, cum ex divinâ *ordinatione* dependeat. *Instrumenti latè* accepti nomine (quale Verbum DEI) perque *eius motum* nihil aliud intelligitur, quàm *dependentia* vel *subordinatio* virtutis *causæ principalis, instrumentali* perpetuò & intrinsecè comunicatæ. Adde quod verbum DEI, non nisi per *analogicam eminentiam*, instrumentis annumeretur, nec est necesse, canones Philosophicos de instrumentis *artificialibus & αψύχοις, πρώτως* loquentes, huic sacro conversionis medio in se vivo, rigide & scrupulosè applicare. ζ. In *August.* quidem *confessione*, Verbum, conversionis *Instrumentum* dicitur, sed *ὡς ἐν πλάτῃ*, fitigid cum primis ratione *externæ* scriptiois, prædicationis & ministerii, non verò propriè ratione *Internæ* virtutis S. Sancti Verbo comunicatæ.

η. Quoties *Verbum DEI* comparatur *semini, igni, imbrī &c.* toties *modus* operandi significanter indigitatur, quoties *malleo, baculo, sceptro*, toties præciso modo operandi speciali solus *efficientiæ actus* exprimitur, & simul nexus causæ *Instrumentalis & Principalis*, innuitur. θ. Aliud est *Efficaciam habere Instrumentaliter* quod de Verbo quasi *impropiè*, dicitur, cum eam *comunicativè, Mysticè, ex singulari ordinatione* divinâ possideat: aliud *agere Instrumentaliter*, quod non propriè *habendi* sed *operandi modum* exprimit; *Disting.* ergo inter *unionem seu communicationem, & inter actionem* vel operationem: divina virtus Verbo non
 unitur

unitur, nec communicatur *Instrumentaliter*, agit tamen vi ejus per unionem *communicata efficacia Instrumentaliter*, atq; sic nec tam *Instrumentum* est, quam *medium*, si plane *accurate* loquendum, quum non omne *medium* *Instrumentum* sit. 1. *Ufus* vocabulum, cujus mentio aliquoties facta, accipitur 1. de *ordinatione ad usum*, vel 2. de *externo sive actuali usu* *lectionis*, *auditionis*, &c, *Priori* modo dici potest *verbi vim* omnem in *usu*, id est in *ordinatione divina* sitam esse, citra quam neutiquam *divina* virtute animatum esset. *Posteriori* vero modo, omnia *Instrumenta* in *externo usu* consistere non dicendum, nisi sic exponatur: quod vel in *usu actuali*, vel *possibili aut potentiali* consistunt. * Ut in *operatione verbi causa principalis & Instrumentalis*, seu potius *media*, occurrant, non est tamen nisi *una actio conjuncta*, nec solum *conjuncta sunt*, sed & *conjunctim agunt*. *Spiritus Sanctus* quidem prior est *natura* *divino verbo*, non tamen prius agit. *Causa* in *productione effectus* antevertit quidem *effectum*, sed non *medium*. Ergo *una numero & indivisa actio* est, quæ producitur a *Spiritu Sancto* tanquam a *principali*, & a *verbo* ut *causa instrumentali* vel *mediâ*. Sic *feminans & manus feminantis*, *feminationem* præcedit quidem, *simul* tamen ad unum numero *effectum*, sc. *feminationem*, concurrunt, sic se habent *anima hominis & oculus*, respectu *visionis*.

5. Extendit porro hæc efficacia sese indifferenter ad omnes omnino homines, electos & reprobos, ex intentione DEi, licet in impiis contumaci *malitiâ* repugnantiam ascititiam, suæ naturali superaddentibus, actu secundo operatio excutiat salutaris, exerit tamen vim suam *divinam* convincendo & constringendo illorum corda, ut reddantur *inexcusabiles*.

6. Denique circa expositionem *predicati* hoc tenendum, quod hoc Verbum DEI non operetur per vim quandam *Irresistibilem*, sed resistibiliter, ita ut eidem homo possit obicem ponere, & impedire quo minus intentum effectum assequatur, & hoc est ἀντιπίπτειν & Spiritui Sancto resistere, ut est in Act. 7. 51.

MEMBRUM III.

De dictis Scripturæ, quibus orthodoxi Thesin de Efficaciâ Verbi *solide confirmare solent.*

Purima quidem in pandectis sacris occurrunt documenta, quæ Verbi divini vim & efficaciam divinam firmissimè adstruunt, brevitati vero litantes, sequentia *sex* tanquam potiora, in medium producimus, quæ singula adversarii falsis suis interpretationibus in sensus perniciosos traducere studiosè adnituntur, & ideo digna ut orthodoxo sensu exponantur. Horum 1. loco memorandum se sistit effatum Christi: Joh. 6. 63.

Τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν πνεῦμά ἐστιν καὶ ζωὴ ἐστίν: *Verba quæ ego loquor vobis Spiritus sunt & vita sunt.* In hac propositone observa 1. *Subiectum* sc. *Verba quæ ego loquor vobis*, quibus *Salvator* intelligit verba, in ministerii sui annis a se prolata, & postmodum ab Apostolis tanquam suis notariis in N. T. quoad substantiam dogmatum in scriptura S. consignata. 2. *Predicatum: Spiritus sunt, vita sunt.* Et sic dicantur, non quod sint ipse *Deus*, vel *Christus*, vel *Spiritus Sanctus*, ut quidam somniavit, nec solum *ratione*
obje-

objectorum, rerum sc. Spiritualium & mysteriorum fidei, ut *alii* exponunt, neque tantum *ob finem*, ad quem informant, vitam æternam; sed *etiam* & *cum primis* propter *vim vivificandi*, & *efficaciam* ex Divinâ ordinatione verbo inditam, & inde prodeuntium *Effectuum Spiritualium*, illuminationis, regenerationis &c. salutarem cumulum. *Spiritus* itaque sunt *verba Christi* i. e. *Spiritu* prægnantia & *animata*, unde & *Paulus* 2. Cor. 3. v. 6. *Evangelium* vocat *Spiritum* qui *vivificat*. Ipseque *Christus* in verbis immediate præcedentibus, per τὸ πνεῦμα τὸ ζωοποιῶν seu *Spiritum vivificantem*, salutare Dei Verbum innuit, cuique *carnem* opponit, hoc est, *excarnali* & *corruptâ naturâ* rerum *Spiritualium* mysterium *affectantem*. *Vita* v. sunt *Verba Christi*, non solum *ratione Effectus*, vitæ sc. *Spiritualis*, ad quam perducunt, sed maxime *ratione interne formæ* & *perfectionis*, quia *actu primo* viva sunt & vim vivificandi à DEO inditam habent. Nota, majorem propositionem *Christus* præmittit, inferens: *Spiritus est qui vivificat*, inde sublumit, *Verba quæ ego loquor vobis*, sunt *Spiritus*, E. *Verba quæ loquor vobis vivificant* & *vita* sunt, i. e. vim vivificandi in se habent: quod autem omnes *actu* non vivificentur, *malitiosæ* & *actuali resistentiæ* attribuendum, & *incredulitati*, ut *Christus* in versu seq. 64. dicit, *quia non credunt*. Sine omni itaque *ratione* *Cas*: *Movius* audeat dicere, *Verbum DEI* in respectu ad *resistentes esse sine S. Sancto* & *salubri efficaciam*, cum & *Christi præconium* tum *piis* tum *impiis* factum fuit, nec desierat esse *Spiritus* & *Vita*, cum ab *impiis* audiretur. Nec audiendi illi ex *Calvinianis*, qui quidem *Christi prædicantis Verbis* talem *vitam* & *efficaciam* concedant *inesse*, sed eam non quadrare *Verbo* à reliquis ministris prædicato, *quia nunquam ita loquutus est homo*,

Joh: 7. 46. docebat n. ut habens autoritatem: verum hoc omninò tenendum, quod sicut tunc Verba Christi erant vita, ita & nunc quando literis sunt consignata, vel quando significanter lingvâ m. vernaculâ proponuntur, Spiritu & vitâ sunt fœcunda; talem enim conceptum & menti Divinæ congruum in mentibus nostris adhuc, sicut olim Christo docente, ingenerare valent. E. firmiter concludere licet ita: Verbum quod Spiritus & vita est h. e. vitâ instructum & Spiritu animatum, illud non est Organon vel medium ενεργον & inanimatum, aut signum mere significativum, sed medium ενεργητικόν & Efficax, Divinum, ordinarium ad actus salutaris producendos: Atque Verbum Dei Scriptum & predicatum tale est, E.

II. Rom. i. 16. ε̄ γὰρ επαισχύνομαι τὸ εὐαγγέλιον τῆς χρισ̄, δύναμις γὰρ Θε̄ ε̄σιν εἰς σωτηρίαν παντὶ τὸ πισεύοντι, ἰσδαίω τε πρώτῳ καὶ ἔλληνι. Non enim erubescio Evangelium Christi virtus enim Dei, ad salutem omni Credenti, Judeo primum & Greco. In Explicatione hujus loci, notandum x. Subjectum sc. Evangelium Christi, (vocem Christi vulgatus omittit, quod tamen insignem habet Emphasin) ut vel sic pateat, per Evangelium nequaquam intelligi cum *Svenkfeldianis*, ipsum Christum λόγον ὑποστατικόν, cum Apostolus Christum expressè ab Evangelio distingvit & in 9: versu evangelium filii Dei vocet. Dicitur autem Evang. Christi a. ratione cause efficientis, quia Joh. i. 18. per eum ex sinu patris ad nos delatum. β. ratione objecti, quia de Christo, ejusque beneficiis agit, ac γ. ratione finis, quia ad Christum ducit. Evangelium ergo. non est ipse Christus, sed præconium de Christo.

2. Nec per Evangelium hic loci intelliguntur ipsa *Mysteria*, vel res in Evangelio contentæ, ut vult *Bellarminus* &c.
(Cum

(cum aliud sit *Evangelium*, aliud ipsa *beneficia*, in eo quæ enarrantur) sed ipsa *Prædicatio de redemptione, satisfactione Christi &c. de cruce, quæ percuntibus stultitia est, nobis a. servatis potentia Dei* 1. Cor. 1. 18. & ipse *Paulus* Rom. 1. v: 15. ait: *promptus sum vobis qui Romæ estis ἐβανγγελίζεσθαι*, rationem addens v: 16. *non enim me Evangelii Christi &c. intra gentes prædicandi; licet à quibusdam crucifixus pro fabula habeatur, ut Act: 25. 16. 3. Constat Paulum nec hîc loqui de Evangelio seu Verbo in mente, cujus erubescere non potuit, sed de ore prolato quod & Romæ prædicare cupiebat. 4. loquitur & hic de Evangelio, non electis modo, sed omnibus omnino hominibus sine discrimine prædicando.*

II. *Prædicatum in hoc dicto sunt Verba, potentia DEI est ad salutem omni credenti &c. (α) dicit potentiam DEI, usurpando Abstracto pro concreto, singularis Emphasis causâ, Substantivo pro Adiectivo in superlativo gradu efferendo, quasi diceret potentissimum medium ad generandam fidem & salutem. Vide locutiones 1 Cor. 18. 21. 2. Cor. 5. v. 21. Luc. 4. 32. Joh. 17. 17. Eph. 5: 8. 9. hinc Philologorum est regula, vide Glassum Phil. S. lib: 3. &c. quoties abstractum sumitur pro concreto in prædicatione, excellentiam quandam Formæ in subiecto significari, quæ ab eo excludat quidquid repugnat naturæ formæ significatæ per abstractum. (β) est quidem potentia proprietatis DEI essentialis simpliciter accepta, quomodo hic non accipitur, dicitur enim hic Evangelium potentia DEI, non per Essentialem identitatem sed vi unionis, quatenus Verbum & Deus in unum cœunt, atque in & per Verbum non solum conceptus suos Deus manifestat, sed & potentiam suam declarat supernaturaliter operando. (γ) Licet Paulus videatur dicere Evangelium*

esse *potentiam* sub connotatione *usus* ad fidem, per additam vocem *Credenti*; hinc tamen non sequitur, extra *usum* illud non esse *potentiam* DEI, cum eo ipso, quo *actu* *secundo* vim suam *omni credenti* diffundit, præsупponitur omnino eam vim habere in *se* & *actu* primo; Iste enim hunc præsупponit. Unde & colligitur, *Evangelium* haud quaquam privari suâ vi, respectu *malitiosè resistentium*, quamvis salutem in iis, ut in omni credenti, non operetur, cum ita sit potens medium, ut tamen ei possit *resisti*. (e) Cum dicitur *potentia* ad salutem, quod & fit Eph. 1.13. non solum est *objectiva*, *significativa* & *representativa*, sed etiam *realis* & verè *effectiva*, ex divino beneplacito & ordinatione ad obtinendam salutem determinata. vide 2. Tim. 3. 15. nec est *corporalis*, sed *spiritualis* & æterna. (f) Hæc ipsa *potentia* non est ab *Evangelio* separata, sed ipsi semper connexa *intimè* & *intrinsecè*, nec ei forinsecus advenit. Nam quodcunque Verbum *potentia* DEI est ad salutem, id etiam *intrinsecè* vi, & quidem, *actu* *prime* præditum sit, oportet, nec eget ut *accidentariâ* aliquâ *elevatione* in *ambulatoriâ* unione *potens* fiat. (g) Denique addit *Paulus* *objectum* *Judeo* scil. & *Græco*, per quos *omnes* in mundo *homines* intelligit, ad quos *potentia* Verbi se extendit, absque omni personarum acceptione. Scriptura enim totum mundum in *Judeos* & *Græcos* distingvit: ut Verbum apud quemquam inefficax sit, sit non nisi *mali* motu, sed non *potentia* defectu. Quibus ita rectè assertis sic concludere licet:

1. Quicquid *intrinsecè* *Divinâ* *potentiâ* pollet ad excitandos & conferendos *actus* *salutares*, illud non tantum *extrinsecus* & *objectivè* agit & operatur, sed *intrinsecus* cordi non *malitiosè resistenti* efficaciter generat *fidem* ad vitam æternam, atq; Verbum Dei à Paulo prædicatum tali *potentiâ* pollet &c. E.

2. Quicquid

2. Quicquid est potentia DEI ad salutem omni Credenti, seu potentissimum medium conferenda fidei & salutis divinâ ordinatione constitutum, ut Spiritus S. per illud omnibus non resistentibus divificos effectus operetur illud non est organon & medium ἀργον & ἀψυκον conversionis. Atque Evangelium Christi à Paulo predicatum & scriptum tale est E.

III. Hebr. 4. v. 12. Ζῶν γὰρ ὁ λόγος τῆ Θεοῦ καὶ ἐνεργῆς καὶ τομώτερος ὅτι περὶ πᾶσαν μάχαιραν δέσμοι, καὶ δεικνύμενος ἄκρι μερισμῶ ψυχῆς τε καὶ πνεύματος, ἀρρῶν τε καὶ μυελῶν. Sc. Vidus enim est sermo DEI & efficax & penetrabilior quoque gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum.

1. Subjectum hic est λόγος, qui hoc loco non notat λόγον ὑπερβαλόν, ut multi urgent, quia (α) istud nomen, sine restrictione λόγος, pro Filio DEI, excepto Johanne, apud nullum alium deprehenditur. (β) ergo Verbum θεοφορικόν hic intelligendum esse constat, vel ex antecedenti collatione; nam præter c. 2. & 3. versus m. hujus 4. c. 2. 6. 7. 11. evidenter innuunt Apostolum loqui de Verbo DEI *predicato*. (γ) Cum ejusmodi *predicata* hic enumerantur, quæ Verbo DEI θεοφορικῶ benè competunt, & Scriptura Sacra aliis in locis ei attribuit. apud Joh. 6. 63. 68. *Vidus* dicitur, item Act. 4. 20. c. 7. 38. Phil. 2. 16. 1. Pet. 1. 23. ἐνεργεῖα tribuitur Rom. 1. 16. Eccles. 12. 11. 2. Cor. 2. 4. Esa. 55. 10. 11. Jerem. 23. 9. confertur gladio acuto, penetranti, Es. 49. 2. Eph. 6. 17. Apoc. 1. 16. c. 2. 6. c. 19. 15. Potentia κελική adstruitur Joh. 12. 48. Nec obtare potest versus subsequens 13. Cum ibi referat Paulus, unde illa vivifica ἐνεργεῖα, quam Verbo tribuit, emanet, nempe ex Verbi auctore DEO, corda & renes scrutante & omnia vidente.

2. *Prædicatum*: (a) *Uir* dicitur non tantum ratione *Effectus*, sed maxime ratione formæ internæ. Vide ad Joh. 6. v. 63 dicta. (β) *ἐνεργῆς* hæc vox indigitat potentiam *intrinsecam* ad motus & actus convertendi, illuminandi &c. item mortificandi, conterendi, convincendi excitandos. (γ) comparatur *gladio* Dei Verbum, imò *præfertur*, cum dicitur *τοῦ αὐτοῦ*. Quali gladio percutiuntur impii, Esa. II. 4. & pravæ duri cordis cupiditates difsecantur & stringuntur (δ) *δίσκου* dicitur non quasi fallaciis ludet, sed quod nihil in eo obtusum sit, sed infit maxima virtus incidendi, vulnerandi & vel mortificandi petrosa hominum corda, ut vel exemplo *Indurati Pharaonis* patet, cuius cor *gladius Spiritus* sive *Verbum DEI* ita penetravit, ut læpius iram DEI deprecari necessum haberet (ε) dicit *Paulus* quod *peringat ad divisionem usque anima simul & Spiritus compagum & medullarum*, quâ figuratâ locutione id inculcat, quod non leviter, superficialiter, sed profundissime ad intima cordis penetret, *compages & medullas omnes*, i. e. secreta omnia dignoscat, abstrusissimas hominum cogitationes examinet, diverberet, damnet, Spirituales v. motus excitet & confirmet ut ira oculatissimus & acutissimus secretorum nostrorum arbiter existat. Quæ consideratio majorem *Verbi DEI* reverentiam & observantiam, quam apud quosdam prohdolor! fit, excitare deberet. Ponderare intimius hic convenit, quomodo *Ninivite*, non miraculis sed *Jona* præconio conversi pœnitentiam agentes sacco se induerunt, in *Petrina* item concione meditanda est; *Act. 2*: virtus *Verbi*. per *compunctionem*. 2. per *Consultationem*. 3. per *conversionem* se exerens quid faciamus viri fratres &c. Adeo ut unâ concione, tria hominum millia fuerint conversa. Confit ergo, quod nec

Lex nec Evangelium inefficax est, cum, si non actus gratissos propter actualem incredulitatem quorundam producere valeat: producit tamen actus punitorios in impiis, fecat, ferit, vulnerat, concutit, mortificat, nam per Verbum arguit Spiritus S. mundum de peccato. Joh. 16.v. 8. & instar mallei concutit durissimas petras. Jer. 23. 29. Et ut credulis est odor vitæ ad vitam, ita incredulis est odor mortis ad mortem 2. Cor. 2.v.16. atque sic contumaces, licet non admittant Verbum, sentiunt tamen aculeos, ac si gladio δισόμεω utrinque dissecantur. Ex dictis itaque sic concludere licet: quodcunque Verbum est vivum & efficax, penetrantius omni gladio δισόμεω ad secandum aptissimo, & insuper penetrat ipsum hominis cor, animum & Spiritum, ad quævis interiora se insinuans, illud non litera mortua, sed divinâ vivificandi virtute, efficacissimiâque penetrandi & agendi vi, intrinsicè in & per se, ante & extra usum instructum, nec demum tale fit, in legitimo usu per elevationem Spiritus S. accidentariâ: Sed Verbum DEI asserente Paulo, tale est. E.

IV. 1. Thessal. 2.13. Ευχαριστοῦμεν τῷ Θεῷ ἀδιάλειπτος ὅτι ἡμεῖς λαβόμεν λόγον ἀκοῆς παρ ἡμῶν, τῷ Θεῷ, ἰδέσασθε ἔ λόγον ἀνθρώπων, ἀλλὰ (καθὼς ἐστὶν ἀληθῶς) λόγον Θεοῦ, ὃς καὶ ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πνεύματιν. *Gratias agimus DEO sine intermissione, quoniam cum accepissetis Verbum auditus à nobis, Dei accepistis illud, non ut Verbum hominum sed, (sicut est verè) Verbum DEI, qui & operatur in vobis, qui credidistis. In hoc dicto celebrantur Thessalonicenses quod illud Verbum Dei, quod Paulus & ejus collaboratores ipsis prædicarunt, non repudiarunt, sed in humilitate cordis susceperunt, honorantes illud, utpote sanctissimum DEI Verbum, quamvis peccatores hoc ipsum illis nunciarent. Verbum Dei vocatur hîc Verbum auditionis, cujus aliquos Gradus Paulus*

hic recenlet, utpote *Evangelii auditio* & in humilitate cordis cum *fide exceptio*. παραλαβάνειν talem perceptionem Verbi significat, qualem natura nobis reddit, δέχεσθαι vero talem receptionem, quæ non naturæ viribus, sed gratiâ S. Sancti nobis communicatur, uti in eâdem significatione hæc vox usurpatur *Act. VIII. 14. I. Cor. II. 14.* Opponuntur hic suscipere ut *Verbum hominum* h. e. ut leve & incertum, & suscipere *Verbum DEI* h. e. ut *efficax, tutum, firmum, verissimum*, quod omnino verâ fide credendum. *Paulus* Verbum à se enunciatum describit, tum à *causâ efficiente*, qui est Deus, cum dicit verè *Verbum DEI*, tum *quoad effectus*, dicens illud esse *potens operari* in nobis qui credimus. Proposuit Apostolus sibi hic commendare *Evangelium* à se *predicatum*, quod demonstrat *relativum* ὅς, referendum non ad *DEUM*, sed λόγος. existimant quidam verbum ἐνεργεῖται passivè, uti *Theophylactus* & *Estius*, sumi; sed rectius *activè* accipitur, agit enim gratias pro *Evangelii efficaciam*, quod egregiè operata fit in auditoribus suis. rectè dicit ἐν ὑμῖν, & tunc excludit *Thessalonisenses* aliquid operari ad suam conversionem, sed solam ponit Verbi divini efficaciam, quæ operatur in illis. Est itaque hoc *invidium argumentum*, destruens *opinationem* *Svenchfeldianorum*, existimantium conciones *Pauli*, non fuisse verè *Verbum Dei* & *efficacissimum medium* ad *operandam fidem, conversionem* & *salutem*.

V. I. Pet. I. 23. Αναγεννηθέντι ἐν ἐκ σποράς Φθαρτῆς, ἀλλὰ ἀφθάρτου, διὰ λόγος Θεῦ ζῶντος, καὶ μένους εἰς τὸν αἰῶνα: *Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per Verbum DEI divinum & permanens in æternum. Ubi notandum* I. *subjectum* hic esse *Verbum*, *Verbum* quidem προφορικόν, *Evangelii Verbum*, & non *Verbum ὑποστατικόν* *Filium Dei*, nec

nec Verbum *Sacramentale*, ut nonnulli ex parte adversariorum volunt. nihi tamen hoc obstat, etsi *Johannes* appellet *Christum* Verbum DEI, ea tamen phrasis non est familiaris reliquis *Apostolis*, nec Filius Dei potest vocari semen respectu nostræ generationis, aut materia, aut organicum mediū nostræ regenerationis. Et Petrus in v. 25. vocat hoc Verbum *σπέρμα*, quod vocabulum nunquam in totâ S. Scripturâ *Christo* tribuitur. Idem videntur inferre loca *parallela*, cum dicitur Luc. 8. 11. *Semen est Verbum DEI*, Jac. 1. v. 18. voluntariè nos genuit Verbo veritatis. 1. Cor 4. 15. In *Christo JESU* per Evangelium ego vos genui. Unde apparet, fideles *Asiaticos* etiam per Verbum prædicatum fuisse conversos. Hoc etiam probat consensus venerandæ antiquitatis. D. Menzerus in disputat: suis scribit ad præsentem Petri locum: quid potest dici nervosius pro internâ illâ vi s. scriptura Verbis illis Apostolicis, quibus S. Petrus asserit, regenitos nos esse ex semine incorruptibili. certè Apostolus ipsum DEI Verbum appellat incorruptibile semen.

D. Petrus huic Subjecto attribuit varia 2. *Attributa*, utpote quod sit semen 1. *incorruptibile*, non 2. *corruptibile*, quodam intelligunt semen frugum, cui Salvator Verbum Dei assimilat Matth. 13. 24. *Lutherus* & *Gerhard.* intelligunt hoc de *semine humano*, sed semen illud *incorruptibile* non est caro aut sanguis, sed æternum Dei Verbum. Vocatur 3. *vivum*; in textu *Græco* est *ambigua* constructio, Διὰ λόγου εἰς ζωὴν, quod referri potest, vel ad Deum, vel ad Verbum DEI. sed *vivum* referri ad Verbum Dei, est facilè probatu; nam si Verbum est *incorruptibile*, utique & *vivum*. Probant hoc loca *parall. scripturæ*, ut Heb. 4. 12. Act. 7. 38. Joh. 6. 63. Hæc vis Verbi Dei non *externè* hominem informat, sed & *internè* illustrat

& vivificat. Et porro ζῶν notat, tam actum primum quam secundum. 4. Effectus Renascentia sc. est talis, ut filios in a filios gratia reddat Eph. II. 3. & hominem carnalem faciat Spiritualem Joh. 3. 6. I. Cor. 15. 50. Unde igitur pro stabilienda Verbi Divini efficaciam, tale fuit Argumentū. *Quodcumque Verbum est semen vivum & incorruptibile, ut ex eo regeneremur omnes, illud intrinsecè, in se & per se, vitā ac vi regenerandi diviniā präditum sit oportet, sed Verbum DEI est semen vivum, &c. E.*

VI. Jacob. I. 21. ἐν πραότητι δεξασθε τὸν ἐμφυτὸν λόγον, τὸν δυνάμει σῶσαι τὰς ψυχὰς ὑμῶν. In mansuetudine suscipite Verbum insitum, quod potest salvare animas vestras. D. Jacobus per λόγον ἐμφυτὸν, non intelligit (1) lumen naturæ, quod ostendit nobis, quid sit agendum fugiendumque. Sed loquitur Apostolus de tali λόγῳ, qui potentiam habet salvandi animas nostras, & quem in mansuetudine suscipere debemus, ac cujus non solum auditores sed & factores nos oportet esse v. 22. si quis accuratè inspexerit, quid sit lumen naturæ, facillè videbit hæc illi nequaquam quadrare. Nec (2) hic per λόγον ἐμφυτὸν intelligitur Verbum ἁποστατικὸν filius DEI, sed Verbum quod per prædicationem ministrorum, velut bonum semen cordibus nostris inseritur & quasi implantatur. Verbum itaque quod in mansuetudine debemus suscipere, & ejusdem esse factores, debet esse in cordibus renatorum vere ἐμφυτὸν, hoc est, congenitum & insitum. D. Jacob. m. in his Verbis ostendit Verbi prædicati effectum, nempe quod potens sit salvare animas nostras, in quibus Verbis est synecdoche partis pro toto, anima pro homine; potens itaq; est Verbum DEI nos salvare, sive nos illam potentiam agnoscamus & fide percipiamus, sive non, vid. I. Cor. I. 18.

Verbum enim crucis quidem pereuntibus stultitia est, at servatis nobis virtus DEI est, actu vero non salvat nisi fide susceptus.

Ex divinis insuper *Actibus* & singularibus *Effectibus Verbi DEI efficacia* firmis Sacrae Scripturae testimoniis, qui sequuntur, adstrui possunt: sunt hi 1. *gratiosi & salutare*, vel 2. *punitorii* (a) *Actus gratiosi sunt, hominum regeneratio & conversio*. Psal. 19. 8. 9. Jerem. 23. v. 29. 2. Tim. 2. v. 25. 1. Petr. 1. 23. Jacob. 1. v. 18. 1. Cor. 4. v. 15. C. 9. v. 1. Gal. 4. 19. Act. 2. v. 37. *Fidei Justificantis accessio & donatio*, Joh. 1. 7. Cap. 17. v. 20. Rom. 10. v. 17. 1. Cor. 3. v. 5. Col. 1. v. 5. 6. 2. Pet. 1. v. 19. Eph. 1. v. 17. *Mentis illuminatio* Pl. 19. v. 9. 11. Act. 26. v. 18. Ephes. 3. v. 9. *Cordis emollitio*, Pl. 19. v. 8. Jer. 23. v. 29. C. 20. 9. *Purificatio*, Joh. 15. v. 3. 4. *Vivificatio*, 2. Cor. 7. v. 6. Eph. 2. v. 5. Phil. 2. v. 16. Act. 5. 20. *Efficax nostri consolatio, corroboratio & exhilaratio*, Psal. 19. v. 9. 10. Pl. 23. v. 4. Pl. 119. v. 50. & 92. Jerem. 15. v. 16. Rom. 15. v. 4. *Justificatio*, Rom. 3. v. 27. 28. *Sanctificatio*, 1. Pet. 1. v. 22. *Renovatio*, Eph. 4. v. 23. *In gratia & fide conservatio*, Joh. 5. v. 39. 1. Pet. 5. v. 10. *Spiritu promissionis obsecratio*, Ephes. 1. v. 13. *Salvatio vel vite aeternae datio, vel inchoate in hac vita per gratiam, vel consummate in altera per gloriam*, Joh. 5. v. 24. 39. C. 6. v. 69. Rom. 11. v. 14. 1. Tim. 4. v. 16. 1. Cor. 1. 21. Jac. 1. v. 21. Act. 11. v. 14. C. 13. v. 26.

(B) *Actus punitorii sunt concussio, compunctio, vulneratio, mortificatio, damnatio*. Verbum enim DEI, *Lex* praesertim, suis comminationibus ferit, concutit, vulnerat, conscindit, & tandem mortificat, Jerem. 23. 29. 2. Cor. 3. v. 6. instar *gladii* utrinque secantis etiam durissima & pernicissima impoenitentium corda penetrat. Heb. 4. v. 12. *quod Exemplo Pharaonis*, Exod. 10. v. 16. *Populi Israelitici*, 2. Esdræ 8. v. 9. 10. *Ezechia*, Esai. 38. v. 2. *Regis Ninivitarum* Jon. 2. v. 5. 6. *Auditorum Petri*, Act. 2. v. 37. *Felicis*, Act. 24. v. 25. *Agrippa*, Act. 26. v. 28. aliorumque manifestum evadit.

Sup.

Supponunt quidem *Adversarii* in hujusmodi actibus, *Spiritum Sanctum* ordinariè operari *immediatè*, & non per *Verbum* ceu ordinarium medium, cum *aures* tantum feriat *Verbum*, cor a. DEUS suâ gratiâ tangat *sine Verbo*, etsi ejus auditus præcederet, sed his sequentia *reponi* possunt, ut in saniolem mentem istorum seqvaces tandem reducantur:

1. *Fides est domum DEI*, sed per *Verbum externum* velut *salutis ordinarium medium*, Rom. 10. 17.

2. *Regeneratio est a DEO*, sed *mediante Evangelio*, 1. Cor. 4. 15. 1. Petr. 1. 23.

3. *Conversio facta est prædicatione Verbi*, Act. 2. 37. C. 11. 20. 21. 24. C. 28. 24.

4. *Christus corda nostra inhabitat per Verbum*, Ioh. 17. 20. 23. 26. Eph. 3. 16. 17.

5. *Spiritus Sanctus accipitur per verbi auditum*, Act. 10. 44. Gal. 3. 2. Eph. 1. 13. 1. Thef. 2. 13.

6. *Illuminatio fit per Verbum*, Pl. 19. 11. Act. 26. 18. Eph. 3. 9.

7. *Vivificatio fit verbo vitæ*, Act. 5. 20. Phil. 2. 16.

8. *Purificatio cordium similiter*, Act. 15. 7. 8. 9.

9. *Salvatio pariter*, Act. 15. 26. Eph. 1. 13. 1. Tim. 4. 16. Jacob. 1. 21. Atque sic *nullus ostendi potest ab adversariis effectus*, qui soli DEO, *citra Verbum*, ordinariâ in *omnórum salutis* adscribitur.

Ejusmodi *vim & Efficaciam* divinam *Verbo DEI* tum etiam actu *primo* inesse, *Similitudines* in *Scripturis* firmiter arguunt.

Comparatur enim *Verbum semini*: Atqui omne *semen*, etiam *antegvam* in terram projiciatur, & actu *secundo* fructum terat, hanc *vim naturalem* sibi habet *instam*, ut fructum, secundum suam *speciem*, producere possit. Ergo etiam *Verbum DEI*, *ratione sensus seu signatæ sub-*

tæ substantiæ dogmatum consideratum, ex singulari DEI ordinatione & beneplacito, insitâ quâdam vi convertendi hominem præditum est, etiam *antequam* audiatur vel legatur; alioquin semini ratione hujus tertii â Spiritu Sancto non compararetur. II. Comparatur *imbri* Esa. 55. v. 10. *Pluvia* Ose. 6. v. 3. unde sic infero, sicut se habent *Pluvia* & *Imber* ad arvum, sic se etiam habet Verbum Dei ad hominis cor in conversione, At *pluvia* & *imber*, etiam *antequam* decidant & actu humectent, vim habent irrigandi & terram humectandi: Ergo & *Verbum Dei* eodem modo se habet erga hominem convertendum, adeo ut, licet *actu* non convertat, *potentiam* tamen quâdam convertendi, ex Dei ordinatione & beneplacito, insitam habet. III. Comparatur *pani*, Matth. 4. & *aqua* Joh. 4. atqvi *panis* in se habet vim nutriendi, & *aqua* vim sitim sedandi, *antequam* quisquam *actu* nutriatur vel potetur: Ergo etiam *Verbum DEI*, ratione sensus seu signatæ substantiæ dogmatum consideratum, ex Divinâ ordinatione & singulari Dei beneplacito, eâdem vi præditum sit necesse est, etiam ante usum legitimum; alioquin ratione hujus tertii, *pani* & *aqua* comparari non potest. IV. Comparatur *consiliario*, *lumini*, *lucernæ*, *carboni jam ignito*, *malleo conterenti petram*, &c. Argumentor, quicquid conferatur *consiliario*, *lumini*, *carboni jam ignito*, *antequam* in Prophetæ os immittitur, ut prædicetur populo: *malleo conterenti petram*, *antequam* illa *petra* contrita est. illud, ordinatione & beneplacito Divino. In se, actu primo, facultatem hominem illuminandi, convertendi &c. etiam ante legitimum u-

sum, habet. Ratio: Alias daretur consiliarius, destitutus facultate consulendi, daretur lumen, cui in se etiam potentia lucendi deesset: daretur carbo, qui quidem esset ignitus, nec tamen vel potentiam adurendi haberet, daretur malleus conterens petras, qui tamen illas conterendi, nec facultatem quidem in se haberet; Atque Verbum DEI orale, scriptum, prædicatum, confertur *consiliario* Ps. 119. v. 24. *Lumini* Ps. 119. v. 105. *Lucerna* 2. Pet. 1. v. 19. 2. Cor. 4. v. 4. Prov. 6. v. 23. *Carboni jam ignito* Es. 6. v. 6. *igni* Jer. 5. v. 14. c. 23. v. 29. Deuter. 33. v. 2. Cujus vim & flammam sensere *Jeremias*, Jer. 20. v. 9. & *Emauntem profecti* Luc. 24. v. 32. *malleo petras conterenti*, Jer. 23. v. 29. Ergo Verbum Dei orale, prædicatum, & scriptum, in se habet ex ordinatione & beneplacito divino, *actu primo* facultatem & ante legitimum usum, hominem convertendi. Sic porro dicitur *Medicina*, ob divinam vim curandi & salvandi animas, Psal. 119. v. 20. *Margarita & aurum*, ob vim confortandi Matth. 13. v. 45. 46. Psal. 19. v. 11. Psal. 119. 72. *mel*, ob vim nutriendi, Ps. 19. v. 11. *Vinum & Oleum*, ob vim reficiendi & sanandi Luc. 10. v. 34. *tonitru* ob vim penetrandi Ps. 68. v. 34. & c. quæ utiqve *intrinsecam vim* habent: unde Verbum DEI eâ etiam *Virtute intrinsecâ* præditum esse oportet.

Hæc subjungi possunt & illi, qui ex *lectione & meditatione sacre scripture* conversi & salvati memorantur, ut sunt: *Victorinus Philosophus*, *Juvenis* sub *Amurathe*, *Justinus Martyr*, *Tatianus Alexandrinus*, *Theophilus Antiochenus*, *Origenes*, *Gregorius Thaumaturgus*, *Philosopus Gentilis in concilio Nicæno*, *Paulus Weidnerus*, qui ex collatione N. T. cum veteri, *Johannes Isaci*, qui ex lectione capitis Esa. 53. *Christiani Gersonis*, qui ex codice N. T. pignoris loco accepti, fuerunt ad fidem Christianam permoti. β. D

β. De Patrum & Orthodoxorum testimoniis, ea quæ sequuntur paucis nota : PATRES suo tempore Verbi Divini efficaciam multis celebrarunt, utpote Areopagita *Epist. 9.* Divina & spiritualia eloquia assimilantur rori, aquæ, vino & melli, ob vim illam vivificam, qua in eis est, non secus ac in aqua, & argentem ut in lacte : & recreantem ut in vino, & purgantem conservantemque ut in melle. *Lactantius Inst. l. 3.* DEI præcepta, quia ut similia & vera sunt, quantum valeant in animis hominum quotidiana experimenta demonstrant. Da virum mihi, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus, paucissimis DEI verbis tam placidum, quam ovem, reddam. Da cupidum, avarum, tenacem, jam tibi eum liberalem dabo. *Justinus Dialogo cum Tryphone:* velim sane etiam omnes, perinde ut me, animum obfirmare, ut ne abscederent à sermonibus servatoris. Habent enim in se reverentiam quandam, idoneique sunt ad pudorem incutiendum iis, qui recesserunt à recta via, fitque meditantibus eos gratissima quies. *Origenes wēi ἀρχῶν lib. 4.* Si quis cum omni studio, & reverentia, qua dignum est, prophetica dicta consideret, in eo ipso dum legit, & diligentius intuetur, certum est, quod aliquo diviniore spiramine, mentem sensurque pulsatus, agnoscat non humanitus esse prolatos eos, quos legit, sed DEI esse sermones, & ex semetipso sentiat non humana arte, nec mortali eloquio, sed divino, ut ita dicam, cothurno libros esse conscriptos. *PhiloCarpathius in Cantic.* Incredibile est, nescenti quam seabe sit de DEO Optimo Maximo ex sacris literis meditari ac loqui. Et paulo post: Ex his guttur nostræ mentis admirabili dulcedine repletur in DEum, seque adeo inflammari sentit desiderio æternæ vitæ consequendæ. Et in eundem sensum *Isacius Presbyter Syrus de mundi contemptu cap. 25.* continua lectio in scripturis sanctorum, replet animam incomprehensibili admiratione ac letificatione divina. *Isidorus Pelusiota ait,* Divina sapientia opes in scripturis habemus, vilibus atque abiectis, indoctis verbis &

exemplis ἡμπεριεχόμενον scil. πλεον inclusas. Ambrosius in Psal.
118. serm. 18. Ignitum eloquium DEI vehementer tripliciter dici
scribit, vel quod mundat, vel quod accendit, vel quod illuminat
audientes. Hieronymus in Proverb 30. Omnis sermo ignitus ait:
Omnis sermo Divina auctoritatis corda electorum & igne cha-
ritatis accendit, & scientia veritatis illustrat, & vitiorum sordes
consumit. Chrysostomus hom. 2. in opere imperf. Ex scripturis
divinis sermo prolatus, ipso igne vehementius animam audientis
emollit atque fingit, ut sit quasi idonea ad omnia bona. Basili-
us ante Psal. I. s. scriptura est communis medica animarum offi-
cina. Augustinus T. 5. de civit. DEI, sancta scriptura justi-
tiaeque doctrina de superiori loco (suggestu) in conspectu omnium
personat, & qui faciunt audiant ad premium, & qui non faciunt
audiant ad iudicium. Anselmus T. II. pag. 10. in Rom. 1. scribit:
talis Virtus est Evangelium, videlicet quia virtutem victoriae Christi
annunciat, & quia gratiam praestat, per cuius auxilium valemus facere,
quae praecipit. D. Martinus Lutherus de efficaciâ Verbi Dei,
cum actuali, tum potentiali, variis in locis differit. Bren-
tius in c. 4. Lucae, Quid ludibriis fidem adhiberet? At scripturae
divinae obsequium praestandum est: haec enim est vox Coelestis &
sententia spiritus sancti, haec divinitus inspirata. D. Salomon
Gefnerus in 2. Tim. 3. si DEI Verbum semen est incorruptibile, &
semen ad generandum aptum, necessum est ut sit animatum &
quidem aeternae virtute. D. Balthasar Meisnerus, disp. de scripturâ
sacrâ sic scribit: scriptura s. absolute & immediate hoc non pra-
stat, ut efficaciter operetur in cordibus hominum, sed certo
respectu, certoque modo, scil. per fidelem meditationem. D. Fri-
dericus Baldwinus in Com. ad Rom. & Hebr. efficaciam Ver-
bo insitam asserit. D. Johannes Qvistorpius in Esaiæ c. 59.
sic inquit: sacrilegium est Verbum & Spiritum divellere, quae
inviol-

inviolabili nexu, Spiritus Sanctus per Prophetam conjungit. D. Gothofredus Cundicius, de efficacîâ Verbi, sic differit: scriptura nequaquam nudum signum, sed una signum & signatum denotat & comprehendit, sicq; concretivè accipienda est, ita ut non minus Dei λόγος ἐνδιάτετος. i. e. conceptus divinus, & forma, cujus nomine sensus venit, quam materia, quæ constat characteribus externis, innuat.

His adde D. Hunnium. D. Thurnium. D. M. Chemnitium in Harmoniâ. D. Kunadû. D. Gerbardum De Ministr. Eccles. Ex professô vero hanc materiam simili ratione, atque à nobis asserta est, exposuere: D. Hylsemannus in Tract. de Auxiliis Gratiæ div. p. 180 & seqq. Doct. Abr. Calovius, D. Musæus 13. Thefibus. D. Haberkorn. D. Quenstedt D. Joh. Adam Osiander, D. Svenonius, & alii in Acad. Aboensi Doctores, D. Rudrauffius. quibus addi possunt Scherzerus, Rauppius, & infiniti alii ex nostratibus, quorum scripta non sunt jam ad manus.

Hi omnes ductum S. Scripturæ sequentes, Adversariorum ex cæcâ ratione & obtenebrati intellectus humani, in rebus divinis dictamine exortas tricas, tanto faciliori negotio solvere & enervare possunt, quantò certius divinum verbum humano præponderare. Ut tamen perniciosius suis assertis simplicioribus imponant, hujusmodi, quæ sequuntur, objectionibus orthodoxam de *Efficaciâ Verbi Divini* thesin, ausu quidem magno, sed frustrato eventu, evertere nituntur :

MEMBRUM IV.

De contradicentium argumentis, eorumque solutionibus.

THESIN superius datam, & ejusdem orthodoxam expositionem, triplicis generis oppugnationibus adoriuntur

Weigeliani, Schwencfeldiani, Anabaptistæ, Fanatici, Enthufiasta, Arminiani, Sociniani, Pontificii, Quakeriani, Rathmanniani, & Calviniani: videlicet 1. Dictis Scripturæ. 2. Rationibus. 3. Similitudinibus. &c.

a. Ex dictis S. Scripturæ ita argumentantur:

I. *Quicquid occidit, illud salutari efficaciâ non pollet; At S. Sacra occidit E. S. Sacra salutari efficaciâ non pollet.*

Majorem putant constare sibi, quia *vivificare & occidere adversa sunt.*

Minorem probant ex 2. Cor. 3. 6. *Litera occidit, Spiritus vivificat, & Scriptura est litera.*

Resp. I. ad Majorem propositionem, non esse *Universalem*: nam DEUS etiam ipse dicitur occidere, Deut. 31. 39. *cujus respectu illa duo non sunt opposita: quia non eodem actu fiunt applicata. occisio item alia est spiritualis, eaque vel perditoria, in executione justitiæ divinæ consistens in incredulis, vel manuâctoria ad salutem in pœnitentibus.*

II. Ad Minorem a. eandem quoque reddi particularem; quia non *Scriptura omnis*, sed tantum *legalis* occidit, iram DEI patefaciendo, terrendo, &c. Ex juris autem particularibus nihil sequitur.

b. *Literis* non tribuimus *seorsim* efficaciam, sed divino sensui literis expresso.

γ. Per *literam* Apostolus *legem* intelligit, utpote propriis DEI digitis in primâ promulgatione tabulis lapideis literis consignatam: *occidens* dicitur propter nostrum in vita defectum, mandat etenim & jubet quid committendum, quid omittendum, sed vires renovandi & salvandi non suppeditat, quin potius transgressoribus legis iram DEI operatur & pœnam denunciat. Per *Spiritum vivificantem*, hic *legi* oppositum, *Evangelium* significatur, ejus ministerio

S. Sanctus, in actibus, *conversionis, illuminationis, &c.* Salutaribus utitur, ut spiritualiter mortuos vivificet & sanet. Quod igitur *littera* imperat, *Spiritus* impetrat; *littera* peccatum offendit, *Spiritus* vero tollit & removet. Nequaquam igitur hic *Paulus* confert *Scripturam S. & Enthufiasmum* vel *novas aliquas revelationes*, sed *legem*, ut dictum est, & *Evangelium*.

d. *Lex* porro *per se vitam* servat, *Luc. 10. fac hoc & vives;* sed *per accidens*, propter hominum prævaricationem: occidit & mortem annunciat: multis E. modis corrumpit ista illatio.

II. *Quod DEO competit, Verbo non est tribuendum: conversio DEO competit, E. Verbo non tribuenda.*

Major patet, quia *DEUS & Verbum* diversa sunt.

Minor prob. ex *Ier. 31. 18. Ioh. 6. 29. 45. 1. Cor. 12. 11. Tit. 3. 5. 1. Thel. 1. 15, &c.*

Resp. 1. Ad Majorem. *DEUS & Verbum* sint diversa, non tamen *adversa*.

2. Limitando majorem ita: quod *Soli DEO* immediate, exclusis aliis quibuscunque mediis & causis, competit, id non est *Verbo* tribuendum: sed sic Minor non stabit.

3. Resp. ad Minorem, ibi opponi non opponenda: *causa enim principalis DEUS, & medium conversionis Verbum DEI*, non sunt *contraria*, sed *subordinata*.

4. In citatis locis nil aliud doceri, quam quod *DEUS* homines convertat, illuminet, fidem accendat; sed non *immediate & ἐξουσιῶς*, verum mediante *Verbo* à divinâ efficaciam impregnato.

III. *Quicumque effectus* requirit *causam infinitam*, ille non potest *scripturis, membranis inscriptis*, tribui: at *hominis conversio* requirit *causam infinitam*, E. &c.

Minorem probare conantur è *Psal. 51. 11. cor novum crea in me DEUS.* ubi nostra conversio dicitur *nova creatio*, quæ non fit nisi à *potentiâ infinitâ*.

Resp. 1. In Majore mutatur *status controversiæ*; non enim loquimur de scripturis, ut in chartis inhærentibus, sed de *Verbo* ratione divini sensus, sive jam voce, sive literis, sive mente concepto, prout ex ordinatione divinâ ut medium vivificum nostram conversionem operatur.

2. Posset concedi Majoris consequentia, quatenus scriptura pro nudis characteribus sumitur; nisi inferre velint, *causam* principalem *infinitam*, omnes *causas secundas & organicas*, tam *operativas*, quam non *operativas*, excludere.

3. Resp. Ad Minorem & ejus probationem; infinitudinem competere etiam Verbo, tum ratione efficaciam Rom. 1. 16. tum ratione durationis 1. Pet. 1. 23. Ef. 40. Apoc. 14. 6. & hæc infinita virtus, ordinatione divinâ communicata Verbo, exerit se non immediatè, sed mediante Verbo, tanquam efficacissimo conversionis nostræ & renovationis *medio*.

IV. *Si Spiritus Sanctus ducit nos in omnem veritatem, utique & in veritatem scriptam, sine quâ scriptura nequit salutariter cognosci: sed verum prius, ergo & posterius.*

Minor prob. Joh. 16 13. *S. Sanctus deducet vos in omnem veritatem.*

Resp. ducit quidem S. Sanctus in veritatem in scripturis latentem, sed hoc agit per *scripturam*, ut ex *scripturâ*, scriptura intelligatur. Illuminat S. Sanctus, non *αὐθόως*, sed mediante s. scripturâ.

Instant: *sine quo, tanquam causâ principali, scripturæ forma, seu sensus obtineri nequit, id ordine naturæ antecedit cognitionem scripturæ.*

Resp. Ignoratio est Elenchi: antecedit omninò, uti S. Sanctus, ita & *Verbum*, ipsam salutarem scripturæ perceptionem, sed an eandem S. Sanctus largiatur *immediatè* ac per

an per scripturam, est quod quæritur. & idem esto iudicium de cæteris hujusmodi argumentis. Aliud est *causam aliquam antedertere effectum*, aliud vero *eam antedertere medium*: prius conceditur, posterius nequaquam; cum *causa principalis & media non sejunctim, sed conjunctim agant & simul*: vide superius dicta.

V. Pro Enthusiasmo & accessoriâ præter Verbum operatione, hoc prætendunt: *Erunt omnes Docti à Domino* El. 54. 13. Joh. 6. 45.

Resp. 1. Verba hæc non sunt accipienda *absolute & exclusive*, quasi in N. T. Verbi ministerium plane cessaret, sed *comparate*, quod amplior & illustrior futura sit DEI cognitio, quam in V. T. fuit, & quod in N. T. major sit numerus illorum, qui in cognitionem Dei pervenerunt, ac fuit in V. T. cum publica prædicatione non amplius *uni populo adstricta*, sed per *universum orbem communis* sit.

2. Si vel maximè de *immediatâ* DEI revelatione hic ageretur, non tamen raptus enthusiastici admittebatur: cum verba illa de filio DEI in his terris actu immediato docente Hebr. 1. 2. exponi possint.

VI. Urgent in eandem rem dictum 1. Joh. 2.27. *Non opus habetis, ut aliquis doceat vos, ipsa Unctio docebit vos de omnibus*

Resp. 1. *Unctio* illa non per Enthusiasum, sed per *Verbum Dei* recepta fuit, quod est *Spiritus & Vita* Joh. 6. 63. *per quod S. Sanctus* nobis communicatur Gal 3.2.

2. Resp. *Unctio* illa est *S. Sanctus*, causa principalis fidei *mediante Verbo* nos instituens. Rom. 8.17. 1. Thes. 2. 13. 1. Joh. 2. 14. ideoque Verba hæc *Johannis*, non sunt intelligenda *absolute & universaliter*, quasi in N. T. *nullus* in-
formatione

formatione in divinis indigeret, sed *comparatè & secundum quid*, quod nempe illi, qui ab *Apostolis* de mysteriis divinis informati, & *Spiritus S. unctiōe* illuminati fuerunt, (cum talibus enim *Apostolo* sermo, est) non opus haberent à novis *seductoribus* novum quid addiscere. confer vers. 21. *dicti cap.*

β. *Rationibus* sic concludere pergunt.

I. *Opus hominis externam non potest actus salutaris producere; scriptura est tale opus. E.*

Majorem probant: quia ejusmodi divini actus animum attingere debent. *Minorem* adstruunt exinde, quia *scriptura* in *litteris & punctis visibilibus* hærens, est opus hominis externum.

Resp. 1. Ad prob. *Majoris*, animum quidem attingi in iis actibus, sed ita: ut prius feriat sensum externum, quam internum moveat.

2. Resp. In propositione committi *ignorationem Elenchi*. nemo enim nostrum *scripturam* considerat pro nudo actu *materiali & externo*, secluso *formali & internis*, sed *complexè*, ut circa statum controversiæ indigitatum est.

3. Resp. Falsum est, *scripturam* esse nihil aliud quam opus hominis externum, cum adæquatâ acceptione fit *Verbum Dei*, non hominis.

4. Resp. Actus externæ *scriptionis Verbum DEI*, fuit opus externum sanctorum hominum *DEI*, sed *divinissimè; principaliter* a. opus maximè divinum est *S. Sancti*, tam manus, quam *lingvas* amanuensium dirigentis. 2. Tim. 3. 16. 1. Pet. 2. 21.

II. *Absurdum est scripturam efficax esse medium conversionis, quia sic & impii & diaboli salvarentur.*

Resp. 1.

Resp. 1. Omnes articuli fidei sunt humano intellectui absurdi, non tamen *omni*, sed *non illuminato*. 2. dist. inter *absurditatem veram & non talem*. 3. Non quæritur, an Verbum Dei in omne subjectum, quomodocumque fit dispositum, operetur; nam ut patet ex Luc. 8. ejus efficacia multis modis malitiâ hominum impediri potest; sed num vim suam exerat in non repugnante & diligente auditore. 4. Diaboli non sunt objectum conversionis, quippe Verbum Dei non est in illorum salutem ordinatum. E. non omne quod absurdum putatur, reverâ tale est.

III. *Si Scriptura esset efficax medium conversionis, sequeretur omnes eam legentes & audientes converti: sed hoc non fit. Ergo.*

Resp. 1. Consequentia omnino fit, nisi contumax hominis malitia efficaciam, Verbo semper præsentem, obicem ponat. Matth. 23. 37. Act. 7. 51. Sic ☉ lumen ipsi intimè & semper inhærens, interveniente obstaculo prohiberi potest, non actu tolli.

2. Resp. Invertendo argumentum: *Si Verbum DEI in omnibus hominibus, debito studio id volentibus, conversionem semper exeruit, utique illud ipsum est efficax convertendi medium: sed verum prius, eum non possit dari contrarium exemplum. ergo & posterius. Exempla passim in scripturâ occurrunt: Auditores Petri Act. 2. 37. Eunuchus c. 8. 35. 36. Cornelius c. 10. 44. Antiocheni c. 11. 20. 21. Lydia c. 16. 14. Berboenses c. 17. 12. Judæi Romæ 28. 24. &c.*

IV. *Quicquid tantum inrúnwua est, & signum interni divi & efficacis Verbi, illud non est Verbum ipsum internum vividax & efficax: at scriptura est tantum inrúnwua, sive signum divi & efficacis illius Verbi. Ergo.*

Resp. 1. In Majore male supponitur reale discrimen,
E inter

inter verbum *internum*, & *externum*; cum non differant nisi *modaliter*, ut prius est dictum. Ideo B. D. Meisnerus ita quis tam foret absurdus, ut statueret voluntatem testatoris, in mente prius conceptam, & deinceps vel literis consignatam, vel voce expressam, differre, *essentialiter*: eadem semper manet voluntas, licet modus repræsentandi variet.

R. 2. Falso accipiunt Verbum vel scripturam pro nudis literis, cum & divinum sensum ut *formale* involvat, & sic utendum voce *scriptura*, ut Spiritus Sanctus eâ utitur, videlicet quod *πᾶσι γράφῃ* sit *θεοπνεύστος* 2. Tim. 3. 16. & plus involvunt Verba quæ sequuntur, quam solas *literas*. Nota. *litera*, materiam, *sensus*, formam innuit, quibus separatis non amplius manet *Verbum Dei*: nisi dicatur duplex dari verbum cum *Weigelianis*, *externum* seu *mortuum inefficax*, & *internum*, *vivum* & *efficax*; quod *impium* & *ἀνίγραφον*.

γ. Ex similitudinibus sic argumentantur.

Quod in actibus divinis est velut, 1. Index & statua *Mercurialis*, ostendens viatori viam, 2. Canalis, per quem S. Sanctus conversionis gratiam in cor hominis diffundit, 3. Pictura personam alicuius indigitans: illud non *effectivè*, sed *objectivè* saltem *efficax* est. Sed Verbum DEI tale est, Ergo.

Resp. 1. Majoris hypothese falsa assumitur, quæ §. 2. circa statum controversiæ est rejecta. Deinde similia illustrant non probant.

2. Resp. Ad minorem, eam esse *ἀνίγραφον*, ne dicam *ἀνίγραφον*, nec ex scripturis sed fanaticorum cerebellis natam.

3. Resp. Quod argumentum istud rectè sic invertitur: Quicquid in actibus salutis à S. Sancto comparatur cum talibus rebus, quæ maximè sunt *inepyniva* & *efficacia*, illud non salutem *objectivè*, sed & *effectivè* est *efficax*. Atqui Verbum

DEI

DEI scriptum, lectum & auditum tale est: Ergo. Minor ex pluribus prius repetitis Verbi DEI effectibus probari potest. vide pag. 23.

Urgent porro Adversarii sequentia:

I. Quodcumque Efficaciam divinam habet tantum Instrumentaliter, illi extra usum & legitimum suum officium efficacia illa non adest vel inest. Atqui Verbum DEI efficaciam habet divinos actus producendi, tantum instrumentaliter. Ergo.

Resp. 1. Major non est universalis, distingvendum E. inter instrumentum inanimatum & animatum, ἀνεργον & ἐνεργητικόν. errant in eo, quod censent Verbum esse ex eo Instrumentorum genere, qualia sunt securis, malleus, nullam virtutem intrinsecam in sese habentia, sed Verbum DEI est vivum, spiritus & vita, Ioh. 6. 63. Rom. 8. 2. Verbum vite æternæ, Ioh. 6. 68. Verbum DEI vivens, per quod regeneramur, 1. Pet. 1. 23. hinc ministerium dicitur *Agrovia* s. *Sancti*, 2. Cor. 3. 8. *Prædicatione* item *fidei* datur *Spiritus*. Gal. 3. 14. Quin imo per Verbum ministrorum credere dicuntur auditores, Ioh. 17. 20. 1. Cor. 3. 5.

2. Resp. Aliud est habere efficaciam instrumentaliter, aliud agere instrumentaliter: vide superius dicta p. 8. §. 9.

3. Resp. Negando omnia instrumenta in externo usu consistere seu actuali, sufficit namque adesse ordinationem cause principalis ad usum. lege ex pag. 9. §. v.

II. Instant, Verbum extra usum nusquam esse, & virtutem divinam tum frustraneam fore.

Resp. 1. Habet omnino Verbum vim suam salutiferam, etiam respectu impiorum, cum salutem illorum intendat DEUS, nec aliud ipsis Verbum prædicetur, aliud *Electis*; etsi in illis, effectus salutaris, culpâ eorum propriâ, non sequatur. Ubi vim salutarem actu secundo exerere nequit, exerit tamen

vim divinam, convincens & constringens corda, ut reddantur ἀναπλογησῶσι. Quærit *Movius* ubi Verbum extra usum sit? sed Responderi potest cum nostratibus: *Originaliter* esse in DEO, ceu conceptum & mentem DEI. *representative* in libris biblicis, *habitualmente* & *subjective* in hominum mentibus: etiam si enim non cogitetur, tamen in animis hominum asservatur & custoditur, ac denique ὁικονομικῶς seu *dispensative*, in divinâ ordinatione, destinatione, sanctificatione. Neque frustra ei competit divina virtus, sed *ratione ordinationis divinae*, est destinata salutis hominum, Rom. 1.16. Quis frustra dicet *vinum visivum* in oculo, dum non illam semper exerit? num frustranea *habitualis* in mente *sapientia*, dum vel propter infirmitatem, & per somnū se non actu prodit?

Instant. porro: *Sacramenta extra usum non sunt sacramenta, sic & Verbum extra usum non est efficax.*

Resp. diversam esse inter illa rationem, sacramentorum enim natura consistit in *actione*, quæ *usum* requirit; at *Verbum DEI* non est situm *essentialiter* in *actu meditationis, lectionis* aut *predicationis*, quæ Verbo tantum accidunt, quod tamen illis cessantibus in æternum perdurabit.

Ex Es: 42, 8. oggerunt: *Committi idololatriam, quando scripturae literis virtus Dei tribuitur, cum ibi asseratur, honorem meum alteri non dabo & laudem meam sculptilibus.*

Resp. per *Alterum & alium* non hic intelligitur vel 1. *Secunda & Tertia Persona*, quæ aliæ personæ sunt à primâ, sed non in *Essentia alia*, i.e. *Filius & S. Sanctus* quamvis sunt alia atq; alia persona, non tamen sunt alius & alius DEUS, verum *unius & ejusdem Essentia*. 2. Nec de *Filio Mariae & Humanâ Christi naturâ*. licet enim hæc sit alia & distincta à divinâ ejus naturâ, non tamen est aliena à Personâ Filii Dei, nec extra eam subsistit, verum est
ejus

ejus *personaliter* propria natura; ut homo ille in Identitate *Personæ* suæ, sit ipse *Jehovah* verus Deus. 3. Nec denique de *Medio* vel organo, quod juxta *ordinationem* divinam *DEO* est unitum: quamvis enim talia, sint *alia* in se à *DEI* essentiâ & personâ, non tñ. sunt alia ab *instituto* Dei ordine, sed juxta illum sunt ipsa Dei organa & media, qualia sunt: S. Scriptura, Verbum Dei, Sacramenta, Ministerium Ecclesiasticum, ipsum Dei consilium & mentem de salute nostra in se continentia, & efficaciter nobis proponentia. Talia enim habent *honorem & laudem virtutis divine*, non ut sint vel *Deus* appellanda, vel *divino cultu* afficienda, sed, quam habent sibi communicatam efficaciam divinam, tanquam Sacro Sancta organa, ad divinos & salutare in homine actus producendos. Sed 4. hic intelligenda veniunt ipsa *sculptilia & idola*, & alia quæcunque, quibus relicto vero Deo confidere audent. his, ut *alteri*, Deus *honorem & laudem virtutis* suæ non vult dare aut concedere.

Obj. adhuc: *Si Testificatio seu significatio objectiva mentis & consilii DEI, alia est à virtutis divine oblatione salvifica, & illa sit à S. Scripturâ, hæc vero à S. Sancto, utique illa non sunt confundenda sed divisim referenda.*

Resp. *Scripturæ testificatio* seu significatio objectiva de voluntate Dei, & illa divinæ efficacix *exertio*, oblatio & operatio salvifica, ad conversionem hominis, non sunt *due* *divise* actiones, uti nec *due* *reipsâ distinctæ* actiones, quarum illa ad S. Scripturam solum, hæc vero solum ad Sp. S. pertineat: sed est una numero & indivisa actio, pertinens *simul tota & integra* ad S. Scripturam, & *simul tota & integra* ad Sp. S. Servato tamen Autoris ceu causæ principalis, & organi divinitus constituti discrimine, ita ut S. Scripturæ

pturæ testificatio externa, sit simul *operativa & effectiva* per virtutem divinam: & operatio Sp. S. interna, sit simul testificatoria. Est enim operatio illa Sp. S. non nisi mediata, mediante sc. S. scripturæ testificatione. Illius autem operationis divinæ & efficacis, quæ est simul testificatoria seu fit non nisi mediante S. scripturâ testificante, causa principalis est manetque Spiritus S. scriptura autem est operationis illius divinæ & testificatoriæ simul organon seu causa instrumentalis per inditam sibi Sp. S. virtutem.

V. De Quæstionibus nonnullis.

I. *An dictum Hebr. 4. 12. rectè & propriè de Verbo Dei lecto, scripto, vel predicato intelligi debeat!*

R. I. Quia I. præter superius allatas rationes, particula *ἡ* connectit hic versum 12 cum antecedentibus, in quibus actum est de voce & promissione Dei, & sic *Verbo Dei*. Sc. c. 3. 7. 15. c. 4. 12. Sicut etiam idem Verbum Dei innuitur ceu *vox & sermo Dei*. c. 4. 4. 5. 7. 8. ita jam per partic *ἡ* ostenditur ejus vocis seu Verbi Dei efficacia.

2. Resp versus 13. rectè de Deo interpretatur. & copulâ *ἔ* innuitur *secunda* ratio adhortationis, ad sollicitè fide quærendam æternam requiem, transeundo ab *efficaciâ Verbi*, ad *Deum* ipsum cuius est Verbum, & à quo omnis in *Verbo vis & ἐνεργεια*.

Nota etiam quod *λόγος ὑποστατικός* potius dicens est *ἐνεργών*, quam *ἐνεργής*, potius *κρίτης*, quam *κρίτικός*.

In v. 14. infertur quidem de Pontifice magno, quæ conclusio de Verbo prædicato sequi posse non videtur. Sed ibi non fit collectio ex proximè antecedentibus, Verum regressio ad sermonem de Pontifice summo

summo, quasi interruptum longâ digressionem, cujus initium a v. 7. c. 3.

II. Cum aliquoties dictum sit, soli Johanni fuisse familiare, per λόγον significare λόγον ὑποστατικόν, quaritur Ergo, an alius aliquis N. T. scriptor illâ voce similiter usus fuerit?

Resp. Quidam, ut efficaciam Verbo scripto & prædicato præcipiant, affirmativam tuentur ex dictis S. Scripturæ. Luc. 1. 2. Act. 20. v. 32. c. 10. v. 36. Tit. 1. 3.

Sed Respondemus: antecedentia & consequentia in Luca innuent agi ibi de λόγῳ προφητικῷ, in Actis autem per λόγον intelligi Evangelium, quod est Verbum gratiæ; per Verbum missum filiis Israel Act. 1. v. 36. Intelligitur prædicatio Evangelii, solis Israelitis hætenus, vide Gerh. in h. l. nunciata.

Ad dictum Pauli ad Titum cap. 1. v. 3. ἐφάνησε δὲ καιροῖς ἰδίαις τὸν λόγον αὐτῷ, ἐν κήρυγματι. Patefecit autem temporibus suis sermonem suum per prædicationem. post expositam illorum sententiam, qui hic intelligunt per λόγον, λόγον ὑποστατικόν, suam sententiam D. Baldvini his exprimit Verbis: Quia vero Verbum illud absolute in se non est à nobis spectandum, sed quatenus in ipso factum est decretum Patris de salute nostra: idcirco hoc in loco non absolute Verbum illud substantiate intelligimus, verum etiam Verbum promissionis & decreti de salute hominum, quod ab æterno quidem factum in consilio Dei, in tempore vero manifestatum per prædicationem, quâ veluti præconis voce (id enim Græca vox κήρυγμα in recessu habet) in orbe terrarum publicatum fuit.

III. Annon frustraneæ sint preces illæ, in Eccles. Lutheranis: ut Deus velit gratiam & virtutem Verbo addere, cum superius toties assertum efficaciam Verbo semper etiam actu prime inesse?

Resp.

Resp. 1. DEum obsecramus *Verbo addere virtutem* 2. modis, idque μετῴρουμῆς α. ut Verbi predicatio fiat orthodoxè & sine hæresi ac schismate, β. ut nostram illuminet mentem, ut verè auscultare & salutariter id cognoscere valeamus, & talem salutiferam Verbi notitiam sibi & auditoribus suis, ante conciones merito apprecantur Verbi ministri. γ. ergo non Verbum, sed homo habet opus reformatione; illud enim est vivum & uniforme, hic est tortuosus & multiformis. Huc pertinent preces: *Revela oculos meos Domine, & considerabo mirabilia in lege tua. Peregrinus ego sum in terrâ, ne abcondas à me mandata tua, Psal. 119. 19. 18.*

IV. Annon (quando nostri concionatores dicunt, Verbum Dei & Scripturarum dicta & sententias, esse ὄχημα seu vehiculum S. Sancti) sequatur efficaciam divinam ipsi Verbo DEI non esse naturalem & intrinsicam?

Resp. Quando Verbum dicimus ὄχημα seu vehiculum S. Sancti, non tale intelligimus vehiculum, unde aliquando S. Sanctus cum sua efficaciâ distet, & separabilis sit, sed tale quod intimè conjunctam semper habeat; vim Spiritus, ipsâque intrinsicè sit impragnatum, alias quoque externum Verbi ministerium, vel externam & ministerialem Verbi ὀνομασίαν, esse ὄχημα vel vehiculum S. Sancti non negandum.

V. An S. Scriptura virtutem divinam habeat, quando in Typographeis excuditur, in tabernis librariis venum prostat, in tenebris cinere sepulta jacet, etiam extra usum lectionis & meditationis sacra?

Resp. liber Biblicus continens in se consilium & conceptum Dei, verè est liber Dei, continetque in se verbum Dei, etiam quando in Typographeis excuditur, in cinere sepultus jacet, aut exuritur, aut in officinis libra-

librariis venalis exponitur, aut scinditur, laceratur, & igne comburitur, ut patet ex Deut. 17. 18. Luc. 4. v. 17. Quia ergo etiam tum est liber Domini, comprehendens in se sermonem & voluntatem ejus, inde etiam virtutem ipsius Dei ipsi inditam esse, esseque in eis sermonem vivum & efficacem, atque sic etiam esse gladium spiritus sc. *actu primo leu potenciali*, etiam ante usum, absurdum non est. Quando autem ille liber domini evolvitur, legitur & expenditur; tum virtus illa divina ei indita, exerit se *actu secundo*; cui si obtemperatur, sequitur conversio hominis salutaris, sin verò resistitur, tum Spiritui S. consilio Dei, & ipsi altissimo resistitur, prout extat, Ela. 30. v. 12, Jer. 44. 16. Act. 7. v. 38. Luc. 7. v. 30. Ioh. 12. v. 38.

VI. An Verbum DEI seu S. Scriptura sit creator an creatura?

Resp. Talis quæstio solennis est in ore adversariorum, ut verbi efficaciam infringant, cum neutrum asserere audent, & tertium dari non putent. Itaque sequentia rite observanda veniunt: nimirum S. scripturam esse *ens concretum*, quod in complexu suo plura continet, 1. enim constat literis & syllabis libro insertis, sicut & verbum Dei prædicatum constat primo, sono voce humana prolato; & hoc pacto, si sacra scriptura consideretur, ut & Verbum Dei, tum *illa* eatenus est corruptibilis, quæ lacerari & comburi potest, tandem etiam in ultimo judicio, igne cum omnibus aliis rebus creatis comburetur; hoc vero eatenus est evanescens, in auram desinens, & finem suum habens. 2. S. Scriptura, ut & Verbum DEI, constat ipso consilio, mente & voluntate DEI revelatâ, quam non solum significativè seu repræsentativè, & ut dici solet, objectivè, verum etiam exhibitivè & reali oblatione in se complectitur. *Priori modo*

modo S. Scriptura utique ut & Verbum DEI est *creatura*, corruptioni & interitui suo tempore obnoxia. Quod nemo nostratum negavit, neque adhuc negatum it. *Posteriori vero modo* si consideretur scriptura, tum non est *creatura* ad creaturarum & prædicamentorum classem pertinens. Ac proinde, quia quod enunciatur *de parte*, quam totum in se continet, illud etiam *de toto ipso*, nimirum ratione partis illius, merito enunciari intelligitur, sicut homo ambulare dicitur, sc. ratione pedum; Pœnitentia salutare dicitur, sc. respectu ad fidem salvificam habito: Ideo etiam, quia nec consilium, nec mens Dei, nec virtus Dei efficacissima, ceu divina, quæ profecto ad totum sacrae scripturae & Verbi DEI complexum quidditative pertinent, *ipsa sacra scriptura*, ut & *Verbum virtutis DEI*, creaturarum classi annumerari potest & debet; verum eatenus est aliquid *transcendentale*, ultra creaturarum & prædicamentorum ordinem constitutum. *Posteriori modo* non habet *principium*, Eph. 3. 9. Sed habet in se *potentiam DEI infinitam*, Pl. 119. v. 105. Act. 2. v. 37. 41. Estque eatenus *instrumentum DEI, non mortuum, ἀβιωτος, ἀνευτος, καὶ ἐσσητος*, verum *vivum efficax, divina virtute operativum*, ceu *ipsa DEI potentia*, Rom. 1. v. 16. I. Cor. 1. v. 18. Et eatenus est *verbum DEI manens in aeternum*, reliquis omnibus licet creaturis destructis, Es. 40. v. 8. Luc. 21. v. 33. Ac quamvis S. Scriptura, ut & Verbum DEI, eatenus etiam spectatum, non sit *ipse DEUS*, non propterea est eatenus *Creatura*, quia inter DEUM & creaturam datur *medium*, sc. τὰ τῷ θεῷ, seu *aliquid DEI*, I. Cor. 2. v. 11. ita *creatio* activè sumpta, seu ut actus divinus connotativè, & cum relatione ad creaturas spectatus, non quidem est *ipse DEUS*, nec est *creatura in se*, est tamen *aliquid DEI*, Genes. 2. v. 3.

Lumen

Lumen illud inaccessum, in quo DEUS habitat, non est præcise ipse DEUS, nec tamen est creatura, sed est aliquid DEI, in quo sc. DEUS habitat, Pf. 104. v. 2. 1. Tim. 6. v. 16. Frustra ergo urgent illud vulgatum; nihil est in DEO quod non sit ipse DEUS; quia hinc non sequitur, quicquid in DEO est, personam esse Divinam, nedum ipsum & Filium DEI. Decreta certe consiliaque in DEO, personæ Divinæ non sunt, nec ipse filius DEI. Qui ergo sensus Scripturæ Verbo Divino expressus, quod in DEO ab æterno fuit, conceptus nempe ille DEI de mysteriis, consiliis, decretis, vel revelatis quibuscunque Scriptura Sacra comprehensis? & sensus ille DEI, quem Prophetæ & Apostoli habuerunt, quippe qui mentem Domini habuere, 1. Cor. 2. 16. quem Scriptura S. exhibet, & quem quisque inde haurire potest: nec fingi potest, sensum hunc esse dependens quid creatum, temporale, aut caducum, quin ipse sensus in DEO, quem viris *Θεωρητικῶν* inspiravit, talis statuatur, quod æque impium est ac si conceptus, vel sensus in DEO, à quo is inspiratus est, talis fingatur. Si enim Verbum DEI esset creatum aut caducum, quomodo celebraretur quod æternum sit, quod de ipso Verbo prædicato asserit Petrus: Verbum Domini manet in æternum, hoc autem est Verbum, quod inter vos annunciatum est, 1. Pet. 1. 25. Ef. 40. 8. Vel quod semen sit incorruptibile, v. 23.

VII. An rectè à quibusdam nostris Theologis, efficacia S. Sancti dicatur verbo esse Essentialis?

Quando illâ voce nostrates utuntur, tunc eam opponunt accidentali, quodvis tempore separabili, & contingenti *ὁμοῦ* Spiritus & Verbi, quam Rathmannianæ fingunt; atque sic nihil aliud innunt, quando virtutem convertendi Verbo Dei dicunt esse essentialem, quam quod illa ipsi sit interna seu intrinseca, perpetua, inseparabilis, necessaria, ex neces-

fitate divinæ ordinationis ad integritatem & internam Verbi divini perfectionem pertinens, gratiô tamen, mysticè, communicatione, & per dependentiam à divinâ ordinatione.

VIII. An, sicut omnes homines sunt indispositi ad suscipiendum verbum ejusque efficaciam, cum animalis homo non percipiat ea quæ sunt Spiritus DEI 1. Cor. 2. 24. ita & conversionem suam impedire nequeant, cum homo ex seipso, tanquam ex seipso, nihil possit 2. Cor. 5. 3.

Resp. Distingvendum inter indispositionem naturalem, omnibus hominibus ex labe originali communem, fastidientem media conversionis, at non invincibiliter. 2. Adscititiam & affectatam, in quâ maxima est discrepantia apud auditores: quidam enim gratiæ prævenienti, quidam operanti obicem ponunt & recalcitrant, ut Act. 7. 31. ut ita Verbum per se aptum natum ad removendam naturalem ineptitudinem, affectatâ pertinaciâ & voluntariâ resistantiâ accitâ, ejus vim & efficaciam rejiciant & sufflaminent. Multis autem modis obex & remora hominibus injicitur, per Verbi neglectum, contemptum ministri & ministerii, per auditionem cum præjudicio, per ignorantem zelum, curam seculi nimiam, & perfidiam satanæ: de his vide prolixè differentem D. D. Petrum Laurbecchium, *Disputatione de Gratia DEI resistibilitate*, circa festivitatem Jubilæi publicè habitâ p. 58. 59. 60.

IX. An quod Hebr. 4. 2. asserit Paulus, Verbum non profuisse Israelitis, non conjunctum fide, ideo vi divinâ illud careat?

Resp. Ibi innuit Paulus negari solum actum secundum de Verbo, non primum: τὸ ἰσχυρὸν enim seu non proficuum Israelitis, h. l. negat finis debiti obtentionem, non intimè adhærentem efficaciam.

X. *An Verbi divini sensus in solo DEO quæri & inveniri debeat, & non in Verbo revelato, ut ut, mentem Dei in se retineat?*

Resp. Ille idem sensus & mens, quæ in Deo fuit ab æterno, & adhuc est, in eisdem in cordibus Prophetarum & Apostolorum per S. Sancti gratiam fuit ut & in Verbo ab illis prædicato & in scripturâ scilicet utpote in quâ DEUS non nudas literas, sed & mediantibus illis mentem & consilium suum nobis proponit. Si enim sic non esset, quomodo posset quis sensum ex scripturâ addiscere, vide Act. 20. 27. c. 26. 22. 1. Cor. 2. 16. innuit enim scriptura consilium DEI, quâ legem & quâ Evangelium, Luc. 16. 29. alias cum Enthusiasticis ad novos raptus & suggestiones suspirandum esset, contra id quod monet Salvator. Joh. 5. 39.

XI. *An verus sensus & mens DEI in S. Scripturâ sit prius quam ea legatur & sensus percipiatur, aut an S. Scriptura illam mentem DEI nostra intelligentia consequatur?*

Resp. Ex El. c. 53. constat mentem DEI, etiam antequam Eunuchus illam percepit, in S. literis iisdem incubuisse; alias enim Philippus eam exinde docere non potuisset. Act. 8. 31. 35. Mens enim & sensus divinus est essentialis & porissima Verbi DEI pars, unde illum haurire debemus, & non ex intellectu nostro. Lege 2. Pet. 1. 19. Psal. 119. 9. Psal. 119. 105.

XII. *An Verbum in tempore revelatum, fuerit ab æterno in DEO? an vero tale in tempore revelarit, de quo ab æterno non cogitavit?*

Resp. Sicut DEUS lapsum protoplastorum ab æterno prævidens, hominibus media salutis scilicet Christum &c. ab æterno præordinavit, Apoc. 3. 8. Eph. 1. 4. ita & Verbum suum, licet postea revelatum sit, Rom. 16. 25. Eph. 3. 9. Colof. 1. 29. Tit. 1. 2. Act. 20. 27.

XIII. *An*

XIII. *An non conduceret relictis de Verbo Dei contraversis, solum Verbum substantiale Christum & S. Sanctum ut salutarium actuum authorem agnoscere, suspendendo iudicium, num converso nostra fiat per Verbum, ut medium divina virtute pollens?*

Resp. Mundo quidem ad palatum esset ista illatio, sed revera est *satane lusus*, ab ordinatis à DEO mediis, & viâ salutis ostentâ, nos seducens ut more enthusiastico cum DEO immediatè agere conemur; cum tamen ipse *Spiritus DEI* in scripturis dicitur, Deum nos non velle convertere immediatè, sed mediante Verbo & Sacramentis, *habent Moysen & Prophetas* Luc. 16. audiant illos. Detestandum itaque & valde perniciosum est facinus, a Deo ordinata salutis nostræ media susque deque habere, & de Verbo Θεογενεῖς, à Prophetis & S. Apostolis prædicato, tam liberè & stolidè pro arbitrato infano iudicare. Talem contemptum Verbi sui Deus nequaquam relinqueret inultum. Non est nostri arbitrii mentem & consilia divina mutare, sed iisdem submissâ mente obtemperare, & grata ac devota mente obtemperare Psalm. 56. 6. II. Rom. 1. 16. I. Cor. 1. 21. Luc. 8. 12. Psalm. 50. 17. Quod Deo placuit placeat & hominibus. Extra Verbum DEI igitur certus esto, nullam esse pacem, nullum solatium, nullam certitudinem fidei & spei nostræ, nullam denique salutis æternæ expectationem.

Ex his, quæ jam dicta & exposita sunt, facile poterit quilibet illuminatus dijudicare, quam miserè errant quotquot Verbo DEI potenti ad salutem Rom. 1. 16. divinam suam vim & efficaciam præripiunt, eamque blasphemant, revelationibus Enthusiasticis & raptibus vel confidendo, vel tales expectando, cum nullibi ad tales inf. sacra remittimur aut optare jubemur, sed unicè ad *scripturas evolvendæ*
aman-

amandemur. Luc. 16. 29. 2. Pet. 1. 19. 2. Tim. 3. 16. Joh. 5. 39. Hebr. 1. 1. ad *Legem & Evangelium*, non ad visiones, revocamur Ef. 8. 20. *Immediata ejusmodi revelationes fallaces sunt, tum propter vanitatem hominum, tum propter fraudes diaboli & insidias, transformantis se in Angelum lucis* 2. Cor. 11. 13.

Atq; sic planè futilia & nullius ponderis sunt illa singula, quibus illi, qui nuper à nobis exierunt, contra orthodoxam sententiam de efficacia Verbi Dei & S. Sacrae, propalare ausi sunt, cujus modi sunt sequentia, nec ulterior refutatione digna:

1. 2. Cor. 4. 4. *Quod Evangelium sit imago DEI.*
2. Christus & Evangelium sunt essentiam unum idemq;.
3. Christus est Verbum illud, quod nos salvat, idque S. Sacra Verbumq; ibi præstare non potest,
4. Verbum, quod Apostoli prædicarunt, & tanta fuisse efficacia in S. Scriptura laudatur, fuit ipse *Christus*, ille in corde Apostolorum mansit.
5. *Sonus* ore prolatus sine virtute in literas tantum est traditus. probatio 2. Cor. 4. 5. *predicamus &c.*
6. Verbum scriptum vitam & animam non habet, Ergo *Epiteta* illa in l. codice, quod potens fit, beet, fit Spiritus & vita, Evangelium æternum, ad Christum pertinent, sed Scriptura S. fit litera mortua.
7. Est *medium*, quo *modus* salvandi reveletur.
8. S. Sanctus detur aliquando *cum Verbo*, sed non per Verbum ejusque debitam lectionem & meditationem, quandoque est potens, quandoque non.
9. Tantum *idea* est ejus Verbi, quod Christus & Apostoli prædicarunt. hic citant Hab. 2. 2. *Scribe visionem & explana super tabulis.*
10. Simile adducunt de *muto*, qui *gestibus* mentem representat; ubi aliud est gestus, aliud quod in corde meditatur habetque.

11. Si effi

11. Si efficax sermo esset, homines semper converteret, Impii prædicatores etiam evaderent Sancti, & illuminati.

12. Pii nunquã, cum legunt vel audiunt Verbũ, solatii sensu destituuntur, ita tamen ut sub meditationibus anxie consolationis vim precibus expectant: ut Psalmi testantur Davidici.

12. Per revelationes divinas de suo dogmate se esse certos & confirmatos, quas precibus obtinuerunt.

14. Usus Verbi est, posse hortari & admonere.

15. An Scriptura S. sit creator vel creatura.

Ad 1. nota: textui certè fit injuria. sic enim legitur

2. Cor. 4. 4. *eis τὸ μὴ ἀυγάζουσι αὐτοῖς τὸν Φῶς πρὸ τῆς εὐαγγελίας τῆς δόξης τοῦ κριστοῦ, ὅς ἐστιν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ* i. e. *Ad non splendendum illuminationem Evangelii gloria Christi, qd̄i est imago DEI. nemo est adeo simplex, qui non videt os referri ad Christum & non ad Evangelium, aliàs vide. Hebr. 1. 3. ubi dicitur filius χαρακτῆρος τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, & Colof. 1. 15.*

Ad 5. Nota: actus prædicationis & scriptiois Θεοπνευσία fuit sacratu, atque sic impiè dicitur, sine virtute litteris signari Verbum.

2. Cor. 4. 5. *prædicamus Christum ipsum*, i. e. doctrinam proponimus de universo merito ejus, quæ in exitum cujusquam vergere non debet.

Ad 9. Nota: in superioribus aliquoties est ostensum, Verbum scriptum & ore prolatum à Christo & Apostolũ, non differre realiter, sed maneat eadem vis utrobique: in Habac. 2. 2. nihil aliud accerur quam Prophetam in mandatis hacuisse visionem ut in tabulas referat quæ & sic conjunctam habent divinam efficaciam.

Ad 10. Nota: Impiè sanè S. Sacra confertur muto, gestu non congruo mentem exprimenti, cum S. S. sensum & mentem Dei accuratè satis exponat. Sermo enim DEI est ipsa Veritas. Joh. 17. 17.

Cætera superius sunt satis refutata. rogemus itaque Deum velit S. suo Sancto illuminare nos, ut hunc thesaurum cœlestem majori cum veneratione æstimare & profferaci salutis nostræ medio sine præconceptis opinionibus

retinere queamus.

DEO SIT LAUS ET GLORIA!